VIAGGIO DI LEONARDO FEA
IN BIRMANIA E REGIONI VICINE
(LXXIII)

SECONDO SAGGIO SUI RAGNI BIRMANI

DEL PROF. T. THORELL

I. PARALLELODONTES — TUBITELARIAE.

Ho già avuto in altra occasione [1] l'opportunità di notare che la collezione di Ragni Birmani fatta dal sig. Fea negli anni 1886-87, in seguito a quella da lui radunata nelle stesse regioni nel 1885-86 ed illustrata nel mio « Primo Saggio sui Ragni Birmani » [2] « potrà formare il materiale per un secondo Saggio (abbastanza voluminoso) su questi animali. » Questo materiale, di cui lo studio mi fu recentemente affidato dalla Direzione del Museo Civico di Storia Naturale di Genova, è realmente molto più ricco, anche di quanto io aveva preveduto, e riesce di nuovo a conferma dell'alta opinione generalmente invalsa intorno alla non comune attitudine ed accuratezza del sig. Fea come collettore di ogni classe di animali.

Un resoconto generale sui risultati dello studio di questa splendida serie di Ragni, non è possibile darlo fintantochè non sia compiuto l'esame accurato dell'intero materiale, il che richiederà un lungo tratto di tempo; tuttavia un'occhiata al principio di

(1) Viaggio di Leonardo Fea in Birmania e regioni vicine. XXI. Aracnidi Artrogastri Birmani raccolti da L. Fea nel 1885-87 (Annali del Museo Civico di Storia Naturale di Genova, Serie 2.a, VII (XXVII), 1889, p. 521, in nota).

(2) Viaggio di Leonardo Fea ecc. II. Primo Saggio sui Ragni Birmani ibid., Serie 2.a, V (XXV), 1887, p. 1-117).

questo mio lavoro sull' ultima collezione del sig. Fea, farà vedere che essa, per l' interesse che presenta e pel numero delle specie tanto nuove come già conosciute, supera di gran lunga la precedente, della quale il mio « Primo Saggio » contiene un elenco colle descrizioni delle specie nuove.

I luoghi dove il sig. Fea ha raccolto i Ragni in questione nella bassa ed alta Birmania, sono per la maggior parte gli stessi in cui egli ha messo assieme la sua prima collezione; bisogna però aggiungervi alcuni punti del Tenasserim e specialmente delle montagne dei Carin (a N. E. di Tongù), che sembra gli abbiano fornito le più numerose e le più interessanti novità, fra le quali un *Liphistius* che io ritengo sia diverso dal *L. desultor* di Schiödte. Per ulteriori particolari rimando il lettore alla relazione pubblicata dal sig. Fea intorno al suo viaggio (1), nonchè al riepilogo col quale intendo di dar fine a questo mio « Secondo Saggio ».

Montpellier, Febbraio 1896.

Ordo ARANEAE.

Subordo PARALLELODONTES.

Tribus **VERTICULATAE.**

Fam. LIPHISTIIDAE (2).

Gen. **Liphistius**, Schiödte, 1849.

** (3) 1. **L. Birmanicus**, n., *cephalothorace aut nigro-fusco et testaceo-fusco-variato, aut sordide fusco toto, abdomine sordide fusco, scutis dorsualibus paullo obscurioribus, corpore modo subter paullo*

(1) Quattro anni fra i Birmani e le tribù limitrofe. Viaggio di Leonardo Fea. Milano, U. Hoepli, 1895.

(2) Quum zoologi plerique hujus aetatis nomina *familiarum* in « -idae (*non* « -oidae ») desinere faciant, ad hanc terminationem in familiis *aranearum* nuncupandis nobis quoque revertendum esse censeo, praesertim quum ita vetera nomina *Epeiridae, Attidae,* cet. (pro Euetrioidae, Salticoidae, cet.), repetere possimus!

(3) *Duobus* asteriscis (**) species *novas* indicavi, *singulo* (*) alias species antea non in Birmania inventas.

clariore, extremitatibus aut totis sordide fuscis vel nigricantibus et subter versus basin clarioribus, aut in femoribus, tibiis et metatarsis vestigiis annulorum 2 (vel 1) fusco-testaceorum praeditis; scutis dorsualibus abdominis decem, ultimis eorum minutis; mamillis lateralibus anticis non parum longioribus quam latioribus, ex articulis circa 13 formatis, 1.° magno et paene aeque longo ac lato, reliquis brevissimis, conjunctim partem fere conicam formantibus, quae in latere interiore tubulis textoriis densis praedita est, mamillis lateralibus posticis prioribus paullo brevioribus et plus duplo et dimidio angustioribus, primum fere cylindratis, dein apicem versus angustatis et apice sat fortiter incurvis, ex articulis circa 18 compositis, quorum 1.[s] *fere aeque longus et latus est, reliqui brevissimi: parte mamillae ex his articulis formata in latere interiore tubulis textoriis densis munita.* — ♀ ad. (?). *Long. circa 24 millim.*

Femina *ad.* (?). — *Cephalothorax* ad formam est ut in reliquis *Liphistiis* describitur, parte thoracica humili, parte cephalica altiore et ad longitudinem paullo assurgente et convexa, impressionibus cephalicis aliisque sulcis radiantibus profundis sed neque ad foveam centralem neque ad margines cephalothoracis pertinentibus; fovea centralis vix longior quam latior est, profundissima, in fundo sub-cruciata. *Oculi* ut in reliquis videntur; spatium inter oculos medios anticos parvos eorum diametrum fere aequat. *Sternum* plus duplo sed non triplo longius quam latius, anguste ovatum, anterius paullo angustatum et apice truncatum, in lateribus leviter rotundatum, apice postico longo et angusto inter coxas 4.[i] paris retro producto. Paullo pone sternum, inter coxas 4.[i] paris, apud petiolum, plagam parvam corneam, forma fere labii (sed minorem) video, *sternum posterius* certe considerandam. Sternum, maxillae, coxae et femora subter setis fortissimis et rigidis sat dense conspersa sunt. *Mandibulae* breves, duplo longiores quam latiores supra (conjunctim aeque latae ac longae et aeque latae apice ac basi), duplo altiores quam latiores, in dorso fortissime geniculato-convexae (versus basin libratae sed versus apicem directae); versus apicem minus compressae quam in Territelariis videntur, in latere interiore

planae quidem sed apice non adeo arcte sibi adjacentes atque in iis, ideoque apice paullo dehiscentes; ad apicem sat late (et intus quoque) dorsum mandibularum setis longis fortibus et densis obsitum est, praeterea modo pilis et setis parvis conspersae. Sulcus unguicularis intus serie longa inaequali dentium circa 13 armatus est. Unguis sat brevis, fortis, retro et paullo intus (non magis intus quam in multis Territelariis, e. gr. *Damarcho*, Thor.) directus. *Labium*, pone et inter bases maxillarum locatum, non parum latius quam longius est, apice antico sterni non parum latius, antice late rotundatum. *Palpi* et *pedes* praesertim in marginibus et versus latera, magis subter, dense et fortiter aculeati, quasi spinosi, sunt, his aculeis in marginibus partium palporum tarsalis et tibialis et in marginibus metatarsorum 1.^{i} paris imprimis fortissimis. Unguiculus palporum 2-3 dentes parvos prope basin ostendit; unguiculi tarsorum superiores 4 (in junioribus 3 vel 4) dentes mediocres raros habent, unguiculus tarsorum inferior denticulos 2 vel 3 minutissimos et inter se proximos.

Abdomen non multo longius est quam latius, breviter ellipticum, aequaliter et fortiter convexum; scutis 10 (ultimis exceptis sulcis duabus longitudinalibus levibus sub-tripartitis) supra praeditum est, quorum 4 anteriora magnam partem (in junioribus totam) latitudinem dorsi occupant, inter se sub-imbricata: 1.^{m} paullo supra petiolum situm est; 5.^{m}, paullo pone medium dorsi situm, 4.º paullo angustius est, 6.^{m} etiam non parum minus: 6.^{m}-10.^{m} longitudine et praesertim latitudine gradatim et cito decrescunt, spatiis magis magisque magnis separatis: tria ultima non multo latiora quam longiora sunt, 9.^{m} parum plus 1 millim. latum, 10.^{m} etiam paullo minus, modo paullulo supra anum locatum; scuta duo ultima depressionem singulam secundum medium ostendunt. Secundum marginem posticum scuta saltem anteriora serie tuberculorum paucorum, setam fortem retro directam gerentium praedita sunt. Inter scuta dorsum coriaceum videtur et ut in iis setulis parvis conspersum. Subter antice, inter petiolum et mamillas, abdomen ut in *L. desultore*, cet., scuta duo magna latissima transversa ostendit, quorum anterius posteriore non parum

latius et, in medio, circa duplo longius est; margo ejus posterior inter spiracula anteriora in lobum brevem paullo angustato-productum est, apice lato hujus lobi late et leviter emarginato; sub eo apertura vulvae sita videtur. Mamillae laterales anticae et mediae anticae apud marginem posticum scuti ventralis posterioris, paullo pone medium ventris, locatae sunt, basi vix ullo spatio separatae; laterales posticae, ut mediae posticae, basi inter se contingentes sunt, mediae posticae paullo ante laterales posticas insertae: hae quatuor mamillae non parum pone reliquas, sat longe ante anum, ventri sunt injunctae. Mamillae *laterales anticae* (mam. inferiores), parum pone medium ventris insertae, latissimae sunt, basin partis palporum tarsalis latitudine fere aequantes, non parum longiores quam latiores, retro et paullo foras directae, in lateribus paullo rotundatae: ex duabus partibus formatae dici possunt, quarum basalis, apice late et paullo oblique truncata, ex singulo annulo (articulo) paullo latiore (apice) quam longiore constat, pars apicalis vero, quae basi aeque lata ac pars basalis apice est, eaque vix (in junioribus paullo) longior, non vel parum longior est quam latior basi, latere exteriore ad longitudinem rotundato, interiore latere recto vel leviter concavato (incurvo); apicem versus cito angustata est haec pars, breviter conica fere, ex 12 annulis praesertim intus brevissimis composita: latere interiore tubulis textoriis sat brevibus sed in « fusulum » longissimum sensim attenuatum exeuntibus (pilos longos rigidos pallidos ita assimilantibus) et sat densis praedita est. Mamillae *laterales posticae* (mam. superiores) paullulo divaricantes, lateralibus anticis paullo breviores et iis saltem duplo et dimidio angustiores basi sunt, in dimidio basali cylindratae vel potius sensim paullo incrassatae, dein usque ad apicem sub-acuminatum sensim primum (breviore spatio) cito, dein levius angustatae et fortiter incurvae, in latere interiore quoad angustatae sunt tubulis textoriis ejusmodi atque in mamillis lateralibus anticis dense obsitae. Ex circa 18 annulis constant, quorum 1.^{s} aeque fere longus et latus est, reliqui brevissimi, ut in parte apicali mamillarum lateralium anteriorum, ultimo conico et tubulo textorio apicali instructo, ut in iis. Mamillae *mediae*

retro directae parvae et praesertim angustae in apice acuminato saltem singulum tubulum textorium, fusulo longissimo praeditum habent (¹); anticae earum lateralibus anticis circa duplo breviores et iis multis partibus angustiores sunt, mediis posticis non parum longiores et paullo crassiores, a basi ad apicem sensim angustatae, circa 5.plo longiores quam latiores basi, et apice suo ad basin mediarum posticarum, quae magis cylindratae videntur, pertinentes.

Color. — *Cephalothorax*, *palpi* et *pedes* ad maximam partem (in junioribus toti) nigricantes vel sordide fusci sunt; in exemplo adulto (?) cephalothorax praesertim in parte thoracica paullo testaceo-fusco-variatus est, femora praesertim et coxae saltem posteriores subter pallidiora, testaceo-fusca, patellae, tibiae et metatarsi, et etiam femora supra, vestigiis annuli vel annulorum binorum testaceo-fuscorum praedita; *sternum* cum *maxillis* quoque pallidius. *Mandibulae* nigrae, sed ipsa basi anguste testaceo-fuscae et ibi nitidissimae et glabrae, excepto ad angulum internum. *Labium* quoque testaceo-fuscum vel rufescens et magis nitidum. *Abdomen* fusco-nigrum vel fuligineum, scutis dorsualibus magis nitidis et nigricantibus; subter paullo clarius est abdomen, scutis ventralibus et *mamillis* ferrugineo-piceis. Scuta dorsualia anteriora in exemplo adulto lineas vel fascias longitudinales pallidas binas ostendunt, scuta dorsualia posteriora singulam ejusmodi fasciam. Aculei omnes et setae nigra sunt.

Lg. corp. 24 (cum mandib. 26 $^1/_2$) millim.; lg. cephaloth. 11, lat. ej. 9 $^1/_3$, lat. clyp. 6; lg. abd. 13, lat. ej. 10 $^1/_4$ millim. Palpi 18; ped. I 23, II 23 $^1/_4$, III 24, IV 32 $^1/_2$; pat. + tib. IV 11 (tib. 6 $^1/_4$), metat. IV 8 $^1/_2$ millim. Mandib. 5 $^3/_4$ millim. longae, 2 $^3/_4$ millim. latae.

(¹) *Omnes* mamillae in gen. *Liphistio* vel saltem in *L. Birmanico* organa textoria igitur sunt, mamillae laterales *principales* dicendae, mediae *auxiliares*. Nec mamillae mediae anticae, nec mediae posticae « colulo » aliarum aranearum respondere possunt: cum Cel. Pocock crédiderim, mamillas medias posticas *Liphistii* mamillas medias aranearum reliquarum repraesentare, mamillas medias anticas illius generis vero *cribellum* aranearum cribellatarum. Conf. Pocock, Liphistius and its bearing upon the classification of spiders, loc. infra cit., p. 308. — Tubulos textorios in gen. *Liphistio* Clar. Van Hasselt primus vidit: Vid. Processen-Verbaal d. Kon. Akad d. Wetensch. te Amsterdam, 1880, loc. infra cit.

Feminam singulam supra dimensam, quae adulta videtur, ad Yadò, in montibus Carin Asciuii Chebà, 1200-1300 m. supra mare invenit Cel. Fea; duas alias minores et immaturas in montibus Carin Chebà sive Biapò, 1000-1200 m. supra mare, cepit.

Antea, quantum scio, modo quattuor exempla feminea generis *Liphistii* in Europam advecta fuerunt, quorum unum (primum) in ins. Pinang inventum a Schiödte ([1]) descriptum et delineatum fuit, alterum, id quoque ex Pinang, eodem modo et a Cambridge ([2]) et a Pocock ([3]) adumbratum fuit; tertium, ad Silago Sumatrae captum, depinxit et descripsit Van Hasselt ([4]), quartum, cujus figuras cum annotationibus quibusdam dedit Simon ([5]), id quoque in Sumatra, ad Benkolen, inventum est. Figurae, quae horum quattuor exemplorum exstant, plerumque inter se adeo discrepant, et descriptiones eorum ad partem adeo sunt imperfectae, ut difficile sane sit dijudicare, utrum unius speciei sint omnia haec exempla, modo plus minus bene figurata et descripta, an ad duas vel plures species diversas referenda. *L. desultor* ipsius Schiödtei et *L. mamillanus*, Cambr., sive *L. desultor*, Poc., unam eandemque speciem repraesentare mihi videntur; *L. desultor* contra Van Hasseltii aliam speciem judico, quam *L. Sumatranum* appellavi ([6]), quum mamillae ejus multum a mamillis *L. mamillani*, Cambr., differre viderentur. Ad *L. Sumatranum* nescio an referendus sit *L. desultor*, Sim. Formam supra a me descriptam, *L. Birmanicum*, tertiam speciem credo. Sed etiamsi omnia exempla gen. *Liphistii* adhuc inventa unius ejusdemque speciei esse invenientur, pro tempore utile censeo, formas illa tres a

([1]) Om en afvigende Slægt af Spindlernes Orden, *in* Kröyer, Natur.-hist. Tidsskrift, Ser. 2, II, p. 617, Tab. V, fig. 1-7 (1849).

([2]) On a new spec. of Liphistius, *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., 4 Ser., XV, p. 249, fig. 1-3 (1875).

([3]) Liphistius and its bearing on the Classif. of Spiders, ibid., 6 Ser., X, p. 306 (1892).

([4]) Bijdr. tot de Kennis v. d. Liphistius desultor, *in* Verslagen en Mededel. d. Kon. Akad. v. Wetensch., Afdeel. Naturkunde, 2 Ser., XV, p. (1), fig. 1-3; — Midden Sumatra, *cet.* Araneae, p. 38, Pl. III, fig. 1-3, *et* Processen-Verbaal d. Kon. Akad. v. Wetensch. te Amsterdam, Zitting v. 29 Mei 1880, p. 7 (5).

([5]) Hist. Natur. d. Araignées, 2.e Ed., I, p. 63, fig. 70-72.

([6]) Studi, *cet.*, IV, I, *in* Ann. Mus. Civ. Genova, 2 Ser., VIII, p. 27 (1890).

me distinctas *nominibus* notare: hoc enim modo fortasse melius posthac observatae et adumbratae erunt formae diversae notabilissimi huius generis.

Ad structuram mamillarum, cet., *L. Birmanicus* melius cum figuris *L. mamillani,* Cambr., sive *L. desultoris,* Poc., quam cum figuris *L. Sumatrani,* Thor. (*L. desultoris*, Van Hass.) convenit, etsi ne cum illa specie quidem bene congruit, ut a descriptione nostra facile apparet. *L. Sumatranus* non tantum forma mamillarum a *L. Birmanico* discrepare videtur: ut *L. desultor* ipsius Schiödtei, etiam *colore* ab eo differt. In *L. Sumatrano* enim, secundum figuram Van Hasseltii [1], *femora et pars femoralis palporum laete rufa* sunt, *pedes praeterea nigro-picei,* et cephalothorax et abdomen plus minus obscure fusca vel nigricantia. Typus *L. desultoris* Schiödtei *cephalothoracem laete rufum,* et *trochanteres* et *femora,* ut *palporum partes trochanteralem et femoralem, rufa* habere dicitur, *extremitates praeterea nigro-piceas,* abdomen piceum, scutis castaneis. In *L. Birmanico* contra cephalothorax aut nigricans et paullo pallido-variatus est, aut nigricans vel sordide fuscus totus, et *extremitates nigricantes vel sordide fuscae*, modo paullo pallido-annulatae, et subter versus basin pallidiores. (De colore *L. mamillani,* Cambr., et exempli Simonis, nihil scriptum invenio). — In figura a Simon data mamillae laterales sive principales vix ullam similitudinem cum his organis in figuris ab aliis scriptoris datis et in *L. Birmanico* praebent — nonne mutilatae in exemplo Simonis fuerunt? Secundum Simon unguiculus inferior tarsorum in hoc exemplo modo *singulo* dente praeditus est, et labium longius quam latius (?); in *L. Birmanico* unguiculus ille *ternos* vel *binos* denticulos ostendit, et labium multo latius est quam longius, ut in *L. mamillano,* Cambr., a Pocock et a Cambridge describitur. Schiödte labium ut apice sterni antico angustius delineavit, quod nescio an erroneum sit. — Sternum *L. Birmanici* longum quidem et angustum est, sed « lineare » nullo modo dici potest. A scriptoribus anterioribus nulla mentio facta est laminae parvae postice inter

[1] Midden Sumatra, *cet.* Araneae, P. III, fig. 1.

coxas 4.[i] paris sitae, quam *sternum posterius* appellavi (conf. sterna Thelyphonoidarum), et cui « plaga sternalis postica » (Simon) (1) Dysderoidearum, cet. verisimiliter respondet. — Coxae longae et basin versus sensim angustatae gen. *Liphistii* non tantum eadem forma sunt atque in Scorpionibus et in Amblypygis, verum etiam, ut jam monuit Schiödte, atque in Opilionibus.

Tribus **TERRITELARIAE**.

Fam. THERAPHOSIDAE.

Subfam. **CTENIZINAE**.

Gen. **Acanthodon**, Guér., 1838.

2. **A. crassus** (Sim.), Arachn. recueillis en Birmanie, cet., *in* Ann. Mus. Civ. Genova, XX, p. 358 (1884) [*Idiops crassus*]; Thor. Descr. Catal. of the Spiders of Burma, *cet.*, p. 1 (1895).

Femina, ad Palòn Birmaniae inferioris inventa.

Gen. **Damarchus**, Thor., 1891.

3. **D. Oatesii**, Thor., Descr. Catal., *cet.*, p. 2.

Mas et feminae, ex Palòn. In aliis maribus paucis, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò captis, oculi medii antici *non* evidenter longius a lateralibus anticis quam inter se distant, et patellae anteriores aculeo distinctissimo antice praeditae sunt; praeterea aculei pedum praesertim anteriorum in omnibus his exemplis, ut in eo ex Palòn, pauciores sunt quam in exemplo masculo ex Double island (ad Moulmein) loc. cit. descripto; plerumque hoc modo aculeati videntur pedes maris: Tibiae 1.[i] paris antice 1 aculeum habent, subter aculeos 1. 1. (vel nullum), praeter 2. apice, quorum interior fortissimus est, sursum curvatus et tuberculo alto impositus; metatarsi hujus paris subter 1. 1. et apice ibi 2.; tibiae et metatarsi 2.[i] paris

(1) Vid. Simon, H. N. d. Araignées, 2.e Ed., I, p. 5, fig. 15.

subter 1. 1. et, apice, 2, antice 1; tibiae 3.ii paris supra 1. 1., subter 1. 1. et, apice, 2., in utroque latere 1. 1. vel modo 1 antice, tibiae 4.i paris subter 1 et, apice, 2. ostendunt, et 1 vel 1. 1. postice. Metatarsi posteriores aculeis compluribus undique armati sunt. Femora omnia et patellae posteriores vel saltem 4.i paris aculeis carent, ut tarsi omnes. — Praeterea haec exempla omnibus numeris cum mare loc. cit. descripto conveniunt, et nihil nisi varietates *D. Oatesii* formare videntur.

Cel. Simon, ut videtur recte, observavit (H. N. d. Araignées, 2.e Ed., I, p. 108), *Cyrtauchenium montanum*, Thor. (Studi, *cet.* IV, I, p. 486) generis *Damarchi* esse; vix enim ab hoc genere differt nisi impressionibus obliquis postice in sterno *quattuor*: pone duas ex-adversus coxas 3.ii paris fere eodem modo atque in *Damarcho* locatas, duas paullo minores et leviores magisque inter se remotas ex-adversus coxas 4.i paris ostendit, cum illis trapezium transversum postice paullo latius quam antice formantes.

Subfam. **THERAPHOSINAE.**

Gen. **Ischnocolus**, Auss., 1871.

4. **I. brevipes, n., *sordide fuscus vel ferrugineo-fuscus, pube et pilis mollibus sub-sericeis pallide ferrugineis vestitus; sulco cephalothoracis centrali leviter procurvo, pedibus praesertim in femina corpore non vel parum longioribus, pedibus 1.i paris in mare sed vix vel non in femina pedes 4.i paris longitudine superantibus, palpis et pedibus in utroque sexu inermibus, excepto quod metatarsi posteriores apice subter binis aculeis parvis armati sunt.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 15, ♀ *circa* 18 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* longior, humilis, parte cephalica parum elevata et ad longitudinem modo leviter convexa; tuber oculorum humillimus est; fovea ordinaria centralis sulcum leviter procurvum format; impressiones cephalicae distinctae, reliqui sulci radiantes parum expressi. Area *oculorum* fere $^1/_4$ latitudinis frontis occupat, circa duplo et dimidio latior quam longior; series oculorum duae aequali longitudine sunt, series postica leviter recurva, series antica desuper visa recta, a fronte visa modice

deorsum curvata: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios fere in centro secat. Oculi antici posticis oculis oblongis — quorum bini, utrinque, postice inter se paene contingentes sunt — circa duplo sunt majores, laterales antici mediis anticis paullo longiores et angustiores, laterales postici mediis posticis parum majores. Spatium inter medios anticos dimidiam eorum diametrum aequat et circa duplo majus est quam spatia quibus a lateralibus anticis distant hi oculi; spatium quo separati sunt oculi bini laterales spatium inter medios anticos aequat. *Sternum* paullo longius quam latius, postice impressionibus duabus oblongis obliquis praeditum, quae saltem duplo longius inter se quam a margine laterali sterni distant.

Mandibulae satis angustae, plus duplo longiores quam latiores. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores, lateribus parallelis, angulo anteriore-interiore paullo prominente, basi intus dense granulosae. Organo stridulationis carent maxillae mandibulaeque, ut in specie insequente. *Labium* paene rectangulum, apice late truncatum, paene duplo latius quam longius, apice fascia transversa sat lata granulorum densissimorum praeditum. *Palpi* extensi ad apicem tibiarum 1.^{i} paris pertinent. *Pedes* brevissimi, obtusi, ita: IV, I (I, IV?) II, III longitudine se excipientes, ut palpi aculeis carentes, excepto quod metatarsi posteriores apice subter aculeis binis gracilibus armati sunt; scopulis densis sed non latis sunt praediti. Scopulae tarsorum anteriorum anguste vel minus evidenter sectae sunt, tarsorum posteriorum scopulae fascia setarum lata sunt sectae. Scopulae metatarsorum anteriorum ad basin, 3.^{ii} paris circiter ad medium, 4.^{i} paris vix ad medium internodii pertinent. Fasciculi unguiculares densi, unguiculi tarsorum bini laeves, non dentati. Metatarsi etiam anteriores tarso paullo longiores sunt. *Abdomen* longius. *Mamillae* superiores dimidium abdominis longitudine circiter aequant, articulo 1.º, qui in latere interiore sulco transverso imperfecte divisus est, duplo, 2.º circa dimidio, 3.º paullo plus duplo longiore quam latiore, hoc articulo reliquis paullo angustiore, tereti et apice obtuso, art. 2.^{m} sed non 1.^{m} longitudine superante. Spatium inter mamillas inferiores earum diametrum non multum superat.

Mas. *ad.* a femina differt pedibus praesertim 1.ⁱ paris longioribus et clypeo mandibulisque angustioribus. *Palpi* extensi paene ad medium tibiae 1.ⁱ paris pertinent, aculeis carentes. Pars patellaris circa duplo et dimidio longior est quam latior, pars tibialis desuper visa cylindrata et ea parum longior, saltem triplo longior quam latior, a latere visa posterius paullo latior, et anterius sensim paullo angustata, subter utrinque pilis longis densis hirsuta. Pars tarsalis paullo longior quam latior est, ante bulbum pertinente, a latere visa late et oblique truncata. Bulbus sat parvus deplanato-globosus in aculeum valde longum, basi magis foras directum, primum cito, dein aequaliter et fere in semicirculum deorsum curvatum, sensim angustatum et acuminatum abrupte exiens. *Pedes* omnes plane inermes; pedes 1.ⁱ paris 4.ⁱ paris pedibus non parum longiores sunt, tarsi 1.ⁱ paris paene triplo longiores quam latiores.

♀. — Long. corp. 18 $^1/_2$ (cum mandib. 22) millim.; lg. cephaloth. 7, lat. ej. 5, lat. clyp. paullo plus 3 $^1/_2$; lg. abd. paene 12, lat. ej. 6 $^1/_2$ millim. Palpi 11; ped. I 18, II 14 $^1/_2$, III 12, IV 18; pat. + tibia I paene 6 $^1/_2$ (tib. 3 $^1/_2$), pat. + tib. IV 5 $^3/_4$ (tib. parum plus 3), metat. I 2 $^1/_2$, metat. IV 3 $^2/_3$ millim. Mandib. paullo plus 4 millim. longae, 1 $^3/_4$ millim. latae; mamillae sup. 5 millim. longae (= metat. + $^3/_4$ tarsi IV).

♂. — Lg. corp. 15 (cum mandib. 17); lg. cephaloth. 7, lat. ej. 5 $^1/_2$, lat. clyp. 3 $^1/_2$; lg. abd. 8, lat. ej. 4 $^1/_2$. Palpi 12; ped. I 21 $^1/_2$, II 17 $^1/_2$, III 15 $^1/_2$, IV 19; pat. + tib. I 7 $^1/_2$, pat. + tib. IV 6 $^1/_2$ (tib. paullo plus 4), metat. I 3 $^1/_2$, metat. IV paullo plus 4 millim. Mandib. 3 $^1/_2$ millim. longae, 1 $^1/_2$ millim. latae. Mamillae sup. circa 4 millim. longae. (= metat. IV incirca).

I. inermi, Auss. (¹) (*I. sub-armato,* Thor. (²)) valde affinis est haec species, sed minor et pedum proportione et armatura paullo aliis, praeter pedibus praesertim anterioribus fortioribus et magis

(¹) Beitr. z. Kenntn. d. Arachn. fam. d. Territelariae, *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XXI, p. 188 (72); — Thorell, Förteckn. öfver Arachn. fr. Java, *cet.*, *in* Bihang t. Vet. Akad. Handl., XX, IV, n.º 4, p. 4.

(²) Spindlar fr. Nikobarerna, *cet.*, *in* Vet. Akad. Handl. XX, n.º 2, p. 13.

obtusis, dignoscenda: in *I. brevipede*, ♀, metatarsi 1.[i] paris, e. gr., modo paullo plus duplo longiores quam latiores sunt, in ♀ juniore ejusdem magnitudinis *I. inermis* plus triplo, paene quadruplo longiores quam latiores sunt metatarsi 1.[i] paris.

Exemplum adultum utriusque sexus ad Plapoo in monte Mooleyit (Tenasserim), 1200-1400 m. supra mare, invenit Fea; feminam valde mutilatam ex Yadò (Carin Asciuii-Chebà) domum reportavit quoque.

** 5. **I. ornatus**, n., *ferrugineo- vel sordide testaceo-fuscus, abdomine supra nigricanti et maculis parvis sub-obliquis testaceis in series duas posteriora versus appropinquantes secundum medium dorsi dispositis ornato; sulco centrali cephalothoracis plane recto; pedibus 4.[i] paris pedes 1.[i] paris longitudine superantibus, pedibus anterioribus modo in apice metatarsorum, subter, aculeo munitis, pedibus posterioribus et in metatarsis et in tibiis aculeis nonnullis armatis.* — ♀ jun. *Long.: saltem 12 millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* ad formam est ut in priore specie diximus, sed fovea centralis, quae latitudine tuberis oculorum (transversim) brevior est, formam sulci transversi recti (nec procurvi nec recurvi) habet; impressiones cephalicae et reliqui sulci radiantes parum sunt expressi. Series *oculorum* aeque longae; series postica desuper visa parum recurva est, series antica hoc modo visa evidenter procurva, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata: linea recta oculos laterales magnos supra tangens medios sub centro secare videtur. Oculi postici oblongi, laterales eorum mediis non parum majores et cum iis paene contingentes; diameter mediorum anticorum diametrum longiorem lateralium posticorum paullo superat; laterales antici oblongi mediis anticis multo majores sunt, non tantum iis circa dimidio longiores, verum etiam — saltem in exemplo majore (dimenso) — paullo latiores. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro minus est sed paullo majus quam spatium quo a lateralibus anticis distant hi oculi; spatium inter oculos binos laterales minus est quam spatium quo distant medii antici inter se.

Mandibulae satis angustae et debiles. *Maxillae* ad angulum posteriorem-interiorem minus dense granulosa sunt; etiam *labium*,

quod circa dimidio latius quam longius est et versus apicem levissime rotundatum sensim paullo angustatum, apice minus dense granulosum est — an ita etiam in adultis? — *Palpi* extensi ad apicem tibiae $1.^{i}$ paris pertinent. *Pedes* sat breves sed non multo obtusi, anteriores posterioribus paullo crassiores; tarsus $1.^{i}$ paris circa duplo et dimidio longior quam latior est. Femora et patellae aculeis carent; pedes anteriores modo aculeum singulum, subter in apice metatarsorum situm, ostendunt. In pedibus posterioribus tibiae et metatarsi, praesertim $4.^{i}$ paris, non tantum apice, verum etiam praeterea paullo aculeati sunt: in metatarsis $4.^{i}$ paris, e. gr., praeter aculeos 3 apicales, 1 aculeum subter, 1 postice et 1. 1. aculeos antice video. Unguiculi bini laevissimi. Scopulae angustae, non multo densae, in tarsis anterioribus anguste, in posterioribus tarsis late sectae. In pedibus anterioribus scopulae ad basin metatarsorum pertinent, in pedibus $3.^{ii}$ paris non usque ad basin; in $4.^{i}$ paris pedibus metatarsi modo apice et minus evidenter scopulati sunt visi — an ita etiam in adultis? — *Mamillae* longiores dicendae, metatarso $4.^{i}$ paris paullo breviores; art. earum $3.^{s}$ art. $2.^{o}$ (qui dimidio longior est quam latior) sed vix $1.^{o}$ longior est. Spatium inter mamillas inferiores earum diametrum non superat.

Color. — *Cephalothorax, partes oris, palpi* et *pedes* ferrugineo- vel sordide testaceo-fusci sunt, pube sericea testaceo-fusca et pilis longioribus ejusdem coloris, intermixtis nigris, vestiti; *sternum* ejusdem coloris eodemque modo pubescens, nigro-pilosum. *Abdomen* supra et in lateribus nigricans, subter pallidius; dorsum ejus in fundo series duas longitudinales posteriora versus inter se appropinquantes macularum testacearum (utrinque 5) in paria ordinatarum ostendit, quae maculae obliquae sunt, sat parvae et gradatim magnitudine decrescentes, anteriores spatio diametrum suam circiter aequante separatae, ultimae in lineolam retro flexam coalitae. Par primum minus distinctum est, maculae $2.^{i}$ paris et insequentes distinctissimae. *Mamillae* superiores ad magnam partem nigricantes (in exemplo majore), vel pallidiores.

Lg. corp. 12 (cum mandib. 14) millim.; lg. cephaloth. 6, lat. ej. fere 5, lat. clyp. paullo plus 3; lg. abd. 6 $^{1}/_{2}$, lat. ej.

paullo plus 4 millim. Ped. I 14, II 13, III 11, IV 15 $^1/_2$; pat. + tib. I 5 $^1/_4$ (tib. 3), pat. + tib. IV 5 (tib. parum plus 3), metat. IV paene 3 $^1/_2$ millim. Lg. mandib. 3 $^1/_4$, lat. earum 1 $^1/_2$ millim.; lg. mam. sup. 3 millim.

Exempla duo feminea nondum adulta ad Prome inventa sunt.

Gen. **Chilobrachys**, Karsch, 1892.

6. **Ch. sericeus**, Thor., Descr. Catal., *cet.*, p. 10 [*Phlogius sericeus*]; conf. Pocock, Notes on the identity of some types of Mygalomorphae, *cet.*, in Ann. Mag. Nat. Hist. 6 Ser. XVI (1895), p. 227.

Feminae multae, pleraeque tamen nondum adultae, ex Palòn, unaque ex Bhamò.

7. **Ch. oculatus**, Thor. Descr. Catal., p. 13 [*Phlogius oculatus*]; conf. Pocock, Notes on the identity, *cet.*, loc. cit., p. 228.

Femina junior, 17 millim. longa, ad Tagatà (Tenasserim) inventa, hujus speciei videtur, quum oculos laterales anticos mediis anticis non parum majores habeat.

An revera ad gen. *Chilobrachym* referendae et a *Musagete,* Poc., separandae sunt hae duae species?

Gen. **Phlogius** (1) (Sim.) 1887.

** 8. **Ph. orophilus**, n., *ferrugineo-fuscus vel obscurior, pube ferrugineo-fusca vestitus et pilis longioribus mollibus ejusdem coloris*

(1) Ad tempus hoc genus ita ut a Pocock (On a new and natural Grouping of some Oriental genera of Mygalomorphae, *in* Ann. Mag. Nat. Hist., 6 Ser., XV (1895) p. 172) determinatum fuit, hic accipio. — In alia specie Australiana, *Phricto valido,* Thor. (Studi, *cet.,* III, Ragni dell'Austro-malesia, *cet., in* Ann. Mus. Civ. Genova, XVII, p. 250) organum stridulationis ut in *Selenocosmia Javanensi,* Walck. (et in *Phlogio,* Poc.) est conformatum, sed unguiculi tarsorum ejus *dentati* sunt; et si gen. *Musagetes*, Poc., a *Chilobrachye,* Karsch, separandum est, tum species illa a *Selenocosmia* et a *Phlogio* ut typus proprii generis — quod *Psophopoeus* (ψόφος, rumor; ποιέω, facio) vocari potest — separari quoque debet. *Phrictus strenuus*, Thor. (loc. cit., p. 253) is quoque gen. *Psophopoei* videtur. — In *Psophopoeo valido* bacilla (« the keys »: Pocock) organi stridulationis sat brevia et densissima in medio lateris interioris maxillae, quod fimbria superiore caret, aream non multo longiorem quam latiorem, supra fortius rotundatam, paene dimidiato-ovatam vel ellipticam occupant.

sub-hirsutus; serie oculorum antica desuper visa parum procurva, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata, oculis lateralibus anticis medios anticos longitudine (sed vix latitudine) evidenter superantibus, mediis anticis spatio $^1/_4$ *diametri eorum non aequante separatis, hoc spatio parum majore quam quo a lateralibus anticis remoti sunt hi oculi; spatio inter oculos binos laterales spatium inter medios anticos paullo superante; oculis lateralibus posticis mediis posticis angustioribus sed parum longioribus; pedibus 4.*[i] *paris pedes 1.*[i] *paris longitudine superantibus, tibia cum patella 1.*[i] *paris tibiam cum patella 4.*[i] *paris longitudine saltem aequante.* — ♀ jun. (?). *Long. saltem 14–15 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* ad formam ut in *Ph. fuligineo,* Thor. (¹) est, paullulo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, fronte $^2/_3$ latitudinis cephalothoracis aequante ; fovea centralis minus fortiter procurva est. Oculi antici magni dicendi ; linea recta marginem inferiorem mediorum tangens laterales fere in centro secat. Mandibularum latus exterius laevis est, spinis, granulis et setis majoribus carens ; in latere interiore maxillarum *organum stridulationis* ex bacillis (« keys » : Pocock) parvis brevibus densissimis rufescentibus est formatum, quae aream circa duplo longiorem quam latiorem, neque ad basin neque ad apicem maxillae pertinentem occupant, hac area paene dimidiato-elliptica, infra modo leviter, supra fortius rotundata : fimbria superiore (inter suturam et hanc aream) plane caret maxilla. *Pedes* 4.[i] paris 3 aculeos apice subter et magis intus ostendunt ; scopulae tarsorum sectae sunt ; in pedibus sex anterioribus paene ad basin metatarsorum pertinent scopulae, in pedibus 4.[i] paris modo apex metatarsorum scopulatus videtur. Unguiculi tarsorum bini laevissimi.

Lg. corp. paene 14 $^1/_4$ (cum mandib. 16) ; lg. cephaloth. 7, lat. ej. 5 $^1/_2$, lat. clyp. paene 3 $^1/_2$; lg. abd. 7, lat. ej. 5 millim. Palpi 10 $^1/_3$; ped. I paullo plus 16, II 15 $^1/_3$, III 13, IV 18 $^1/_2$; pat. + tib. I 6 $^1/_2$ (tib. 3 $^2/_3$), pat. + tib. IV paene 6 $^1/_2$ (tib. 3 $^1/_2$),

(¹) Descr. Catal. *cet.,* p. 8. — In diagnosi et descriptione hujus speciei « spatio inter oculos binos laterales reliquis spatiis interocularibus, *excepto spatio inter oculos medios posticos,* majore » nimirum est legendum !

metat. IV 3 1/2; lg. mand. paene 3 1/2, lat. earum 1 5/8; mam. sup. 3 1/2 millim. (= metat. IV) longae.

Feminae paucae, quae nondum adultae videntur, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò collectae.

Gen. **Musagetes**, Poc., 1895.

** 9. **M. rufo-fuscus**, n., *pube densa ferrugineo-fusca vestitus et pilis longis pallide ferrugineis sat dense conspersus, sterno cum pedibus totis in fundo rufescenti-fuscis, cephalothorace obscuriore, abdomine clariore; cephalothorace tibiam cum patella 4.i paris longitudine aequante, paullo breviore quam tibia cum patella 1.i paris; pedibus 4.i paris pedes 1.i paris longitudine paullo superantibus; serie oculorum antica desuper visa parum recurva, oculis hujus seriei spatiis subaequalibus, dimidiam diametrum oculi medii circiter aequantibus, separatis; oculis lateralibus anticis parum longioribus et angustioribus quam sunt medii antici, oculis lateralibus posticis mediis posticis paullo brevioribus et magis rotundatis; fimbria superiore in latere interiore maxillae rufa.* — ♀ ad. *Long. circa* 39 *millim.*

Femina. — Valde affinis est haec aranea *M.* (*Phricto*) *soricino* (Thor.) (1), sed vix ejus varietas consideranda; a typo *M. soricini* (quem, quum fissuram genitalem apertam habere videatur, adultum nunc credo) differt praesertim statura majore et fortiore, palpis et pedibus crassioribus, cephalothorace tibiam cum patella 1.i paris longitudine modo aequante, pedibus 4.i paris pedes 1.i paris longitudine modo paullo (vix 2 millim.) superantibus, tibia cum patella 4.i paris non parum breviore quam tibia cum patella 1.i paris, et pubescentia qua vestitus est rufescenti-fusca, non olivacea; in *M. soricino* cephalothorax non parum (circa 2 millim.) longior est quam tibia cum patella 1.i paris, pedes 4.i paris multo (circa 5 millim.) longiores quam pedes 1.i paris, tibia cum patella 4.i paris paullo longior quam

(1) Primo Saggio sui Ragni Birmani, *in* Ann. Mus. Civ. Genova, Ser. 2.a, V (XXV), p. 15.

tibia cum patella 1.^{i} paris, et pubescentia corporis et extremitatum olivacea. Organum stridulationis ut in *M. soricino* conformatum est: bacilla (" the keys ,,: Pocock) in latere interiore maxillae fasciam latam circa duplo et dimidio longiorem quam latiorem, apicem (maxillae) versus sensim parum angustatam, apice oblique truncato-angustatam formant; in paene $^{3}/_{4}$ longitudinis (apicalis) haec fascia ex bacillis densis inaequalibus, saltem in medio fasciae in series densas 3-4 dispositis constat; reliqua bacilla seriem singulam minus densam formant, 4-5 basalia longitudine cito decrescentia. Fimbria illa superior lateris interioris maxillae, sub sutura sita, e pilis *rufis* formata est: non usque ad apicem fasciae bacillorum, sed modo ad locum ubi haec fascia truncato-angustata evadit, pertinet; et pili fimbriae ad apicem ejus *non* longiores sunt quam reliqui pili hujus fimbriae. Mandibula in latere exteriore secundum marginem inferiorem fasciam granulorum densorum ostendit, quae versus hunc marginem fortiora evadunt, hic, praesertim versus basin mandibulae, in spinas in series longitudinales dispositas transeuntia.

Sternum et coxae in *M. rufo-fusco* subter fusca sunt, non obscuriora quum pedes praeterea, quorum femora nec versus basin in latere interiore infuscata sunt, nec versus basin subter pilis brevibus sub-obtusis nigris dense conspersa, sed pilis longis pallide ferrugineis sub-hirsuta, ut pedes praeterea. Lineae illae binae longitudinales pallidae supra in patellis et tibiis (ut annulus angustissimus albicans in apice internodiorum) in hac specie non distinctae sunt. Scopula tarsorum 4.^{i} paris evidenter est secta; scopula metatarsorum 4.^{i} paris (versus apicem secta) paene ad $^{2}/_{3}$ longitudinis internodii pertinet; scopulae metatarsorum 1.^{i} et 2.^{i} parium usque ad basin, 3.^{ii} paris non usque ad basin pertinent. Metatarsi 4 posteriores binos aculeos in apice subter habent. Palpi extensi *non* ad apicem tibiae 1.^{i} paris pertinent (in *M. soricino* usque ad apicem). Art. 2.^{s} mamillarum superiorum fere 2 $^{1}/_{2}$ longior quam latior est.

Lg. corp. 39 (cum mandib. 46 $^{2}/_{3}$) millim. Lg. cephaloth. 17, lat. ej. paene 14, lat. front. 8 $^{1}/_{2}$; lg. abd. 23 millim. Ped. I 49, II 43 $^{1}/_{4}$, III 39, IV 50 $^{1}/_{2}$; pat. + tib. I 18 $^{3}/_{4}$ (tib. 10 $^{1}/_{4}$),

pat. + tib. IV 17 (tib. 10), metat. IV 12 ½; mam. sup. 10 ⅓ millim. longae.

Femina singula adulta, ad Kaw-Kareet (Tenasserim) inventa ([1]).

([1]) Ad *Phlogium fuligineum* Thor. (Descr. Catal., p. 8-10), praeter typum qui, secundum Cel. Pocock (Notes on the identity, *cet.*, loc. cit., p. 227), gen. *Phlogii* (Sim.) Poc. est « feminam contusam et mutilatam » ad Tharrawaddy captam retuli, quae alius speciei et gen. *Musagetis* Poc. est, ut nunc video; hujus speciei, quam *M. decipientem* appello, diagnosin et mensuras hic dabo:

** **M. decipiens**, n., *nigro-fuscus, pube densa ferrugineo-olivacea, subter et in abdomine magis ferruginea, in latere interiore palporum et pedum anticorum nigra, vestitus, et pilis longis sub-ferrugineis minus dense sparsus, patellis et tibiis anterioribus supra lineis longitudinalibus binis pallidis satis distinctis praeditis; cephalothorace tibiam cum patella* 1.ⁱ *paris longitudine saltem aequante, non parum longiore quam tibia cum patella* 4.ⁱ *paris; pedibus* 1.ⁱ *paris pedes* 4.ⁱ *paris longitudine saltem aequantibus; serie oculorum antica desuper visa recta, oculis lateralibus anticis mediis anticis angustioribus sed vix longioribus, oculis hujus seriei spatiis circa dimidiam diametrum oculi medii aequantibus separatis, spatio inter oculos binos laterales haec spatia saltem aequante, oculis lateralibus posticis, mediis posticis modo paullo minoribus, angustioribus sed parum brevioribus quam sunt laterales antici; fimbria superiore lateris interioris maxillae rufa, bacillis in parte majore (apicali) fasciae e bacillis formatae modo in duas series distinctas dispositis.* — ♀ ad. *Long. circa* 38 *millim.*

Scopulae tarsorum 1.ⁱ paris evidenter sectae sunt; scopulae metatarsorum 1.ⁱ - 3.ⁱⁱ parium usque ad basin, scopulae metatarsorum 4.ⁱ paris (in dimidio apicali sectae) ad circa ¾ longitudinis internodii pertinent. Metatarsi 4.ⁱ paris apice subter aculeis binis instructi sunt. Organum stridulationis ut in *M. rufofusco* est, excepto quod bacilla maxillae in parte majore (apicali) fasciae bacillorum non 3-4, sed modo 2 series longitudinales formare videntur, quarum altera ex bacillis longis, altera ex bacillis multo brevioribus constat.

Lg. corp. 38 (cum mandib. 41 ½) millim.; lg. cephaloth. 17 ½, lat. ej. 14 ½, lat. front. 9 ½; lg. abd. saltem 20 millim. Ped. I 46 ½, II 40, III 35, IV 46; pat. + tib. I 17 (tib. 10), pat. + tib. IV 15 ½ (tib. 9), metat. IV 11; mam. sup. 9 millim. longae.

Femina singula, a Cel. Oates ad Tharrawaddy capta.

Femina illa, quam ad *Phlogium (Musagetem) cervinum* Thor., ♂, retuli (Descr. Catal., p. 5), secundum Pocock alius est speciei, quam *M. bicolorem* appellavit, et cujus aliud exemplum ex Birmania superiore obtinuit, id quoque a Cel. Oates inventum: conf. Poc., On a new and natural Grouping, *cet.*, loc. cit., p. 172 et 174; Notes on the identity, *cet.*, loc. cit., p. 227.

Alia aranea, quam juniorem *Phlogii (Musagetis) cervini* Thor. suspicatus eram, ea quoque speciei peculiaris gen. *Musagetis* est, quae *M. brevipes* vocari potest, et quam paucis hic adumbrabo:

** **M. brevipes**, n., *in fundo nigricans, pube olivacea undique, etiam in latere interiore et inferiore pedum vestitus, lineis pallidis evidentibus suprà in pedibus carens, pilis longioribus pallide ferrugineis sparsus; cephalothorace tibiam cum patella* 1.ⁱ *paris longitudine non parum superante, pedibus* 4.ⁱ *paris pedes* 1.ⁱ *paris non parum longitudine superantibus, tibia cum patella tamen* 1.ⁱ *paris*

10. **M. Pocockii, n., *nigro-fuscus vel nigricans, pube densa olivaceo-fusca tectus et pilis longioribus nigris et fuscis sat dense in pedibus et in abdomine conspersus, sterno et coxis subter nigris et nigro-pilosis, lineis binis longitudinalibus pallidioribus supra in patellis et tibiis parum distinctis; cephalothorace tibiam cum patella* 1.^{i} *paris longitudine aequante, parte cephalica ad longitudinem leviter convexa, sulco centrali profundo, tuber oculorum latitudine paullo superante; serie oculorum antica modice deorsum curvata, desuper visa parum procurva, paene recta, serie postica levissime recurva; oculis posticis anticis oculis circa duplo minoribus, lateralibus anticis mediis anticis non parum majoribus, spatio inter medios anticos dimidiam eorum diametrum paene aequante et paullo majore quam sunt spatia quibus a lateralibus anticis distant hi oculi; oculis mediis posticis lateralibus posticis latioribus et eos longitudine aequantibus; mamillis superioribus tibia* 4.^{i} *paris paullo brevioribus; pedibus* 4.^{i} *paris pedes* 1.^{i} *paris longitudine superantibus, tibia cum patella* 1.^{i} *paris tamen longiore quam tibia cum patella* 4.^{i} *paris; bacillis in latere interiore maxillae fasciam valde latam, apicem maxillae versus sensim angustatam formantibus, in parte* $^3/_4$ *vel* $^4/_5$ *apicali hujus fasciae densissimis et magis versus*

paullo longiore quam tibia cum patella 4.^{i} *paris; serie oculorum antica desuper visa recta, vix procurva, serie postica non parum recurva; oculis lateralibus anticis mediis anticis paullo minoribus, spatiis inter oculos anticos sub-aequalibus, dimidiam oculi medii diametrum vix aequantibus et paullulo minoribus quam sunt spatia inter oculos binos laterales; oculis lateralibus posticis mediis posticis non parum majoribus sed lateralibus anticis paullo minoribus; fimbria superiore lateris interioris maxillae rufa, bacillis in parte majore (apicali) fasciae bacillorum fere in duas series dispositis.* — ♀ ad. *Long. circa* 28 *millim.*

Palpi extensi non ad apicem tibiae 1.^{i} paris pertinent. Scopula tarsorum 1.^{i} paris secta, ut scopula metatarsorum 4.^{i} paris; scopula metatarsorum 1.^{i}-3.^{i} parium usque ad basin, 4.^{i} paris ad $^4/_5$ longitudinis internodii pertinent. Metatarsi posteriores apice 2-3 aculeis parvis instructi sunt. Art. 2.^{s} mamillarum superiorum, quae metatarsum 4.^{i} paris longitudine aequant, vix duplo longior est quam latior. Organum stridulationis plane ut in *M. decipiente* conformatum videtur.

Lg. corp. 28 (cum mandib. 33); lg. cephaloth. paene 13, lat. ej. 9 $^3/_4$, lat. front. 6 $^1/_2$; lg. abd. 14 $^1/_2$ millim. Ped. I 32, II 28 $^1/_2$, III 26, IV 35; pat. + tib. I 11 $^1/_4$ (tib. 6 $^1/_4$), pat. + tib. IV 10 $^1/_2$ (tib. 6 $^3/_4$), metat. IV 7 $^1/_4$; mam. sup. 7 $^1/_2$ millim.

Singula femina a Cel. Oates ad Tharrawaddy inventa est. — *M. Hardwickii*, Poc., (On a new and natural Grouping *cet.*, loc. cit., p. 172 et 174), ex Burdwan Indiae, valde affinis est haec aranea sed diversa. (sec Cel. Pocock in litteris).

medium in series multas ordinatis; fimbria supra eos olivacea. — ♀ ad. *Long. circa 47 millim.*

Femina. — Prioribus quidem valde affinis est haec species, parte organi stridulationis in latere interiore maxillae sita non parum differente praesertim dignoscenda. Fascia bacillorum fere eadem forma atque in iis quidem est, sed latior et versus apicem sensim magis angustata, ad $^3/_4$-$^4/_5$ longitudinis ex bacillis densis, saltem in medio fasciae in *plures* series ordinatis constans; pars ejus basalis, ex serie singula bacillorum formata, modo ex 4-5 bacillis cito decrescentibus constat. Fimbria superior *olivacea* (non rufa) est, fasciam bacillorum longitudine aequans, usque ad apicem maxillae pertinens, et pili ejus prope apicem fimbriae longiores sunt, saltem hic marginem superiorem fasciae bacillorum tegentes. Patellae, tibiae et metatarsi unicolores sunt, non apice anguste albicantes. Scopulae pedum 4.i paris sectae, reliquae integrae; scopulae metatarsorum 3.ii paris paene ad basin, 4.i paris circa ad $^3/_4$ longitudinis internodii pertinent. Modo metatarsi postici in apice 3 aculeos parvos habent.

Lg. corp. 47 (cum mandib. 55); lg. cephaloth. 20 $^1/_2$, lat. ej. 18, lat. front. 11; lg. abd. 25 millim. Ped. I 58, II 49 $^1/_3$, III 44, IV 60 $^1/_4$; pat. + tib. I 20 $^1/_2$, pat. + tib. IV 18 $^1/_2$ (tib. 10 $^1/_2$), metat. IV 13 $^1/_3$; mam. sup. 9 $^1/_2$ millim. longae.

Femina supra dimensa (ovis plena) ad Thaò, in montibus Carin Ghecù (1300-1400^m supra mare) inventa est, altera ad Yadò in montibus Carin Asciuii Chebà, tertia in montibus Carin Chebà sive Bia-pò.

Mas ad., is quoque ex Carin Chebà l. Bia-pò ejusdem speciei certe est, praesertim quum organum stridulationis maxillae (cum fimbria superiore) plane eodem modo conformatum et coloratum habeat atque in feminis supra descriptis: abdominis et extremitatum color praesertim supra paullo clarior tamen est quam in iis, fuligineo-fuscus. *Palporum* pars tibialis subter pilis longis densis deorsum directis hirsuta est; bulbus ruber nitidus et fere inaequaliter piriformis subter, posterius, in spinam valde longam exit, quae a basi crassissima usque ad apicem sensim angustato-acuminata est, prope basin subito et fortiter deorsum et foras

curvata; ad longitudinem praesertim basin versus sat dense et sat profunde sulcata est haec spina, apicem versus magis picea. — Lg. corp. 28 (cum mandib. 33) millim.; lg. cephaloth. 15 $^1/_2$; lg. ped. I 50, II 44, III 38, IV 52; pat. + tib. I 15 $^1/_2$, pat. + tib. IV 16 millim.

Gen. **Melopoeus**, Poc., 1895.

11. **M. minax, n., *nigro-fuscus vel nigricans, pube densa olivaceo-fusca tectus et pilis longioribus ferrugineo-fuscis sat dense in abdomine et in pedibus conspersus, sterno cum coxis subter magis nigro et nigro-piloso, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis apice angustissime pallidis, lineis binis longitudinalibus pallidis patellarum tibiarumque vix vel parum evidentibus; cephalothorace tibiam cum patella* 1.^{i} *paris longitudine superante, serie oculorum antica modice deorsum curvata, desuper visa paullo procurva, serie postica hoc modo visa recta; oculis lateralibus anticis mediis anticis modo paullo longioribus et paullo angustioribus, oculis lateralibus posticis laterales anticos magnitudine fere aequantibus, mediis posticis iis duplo minoribus, spatiis sub-aequalibus inter oculos seriei anticae oculi medii antici diametrum paene aequantibus; mamillis superioribus metatarso* 4.^{i} *paris multo, paene duplo, brevioribus.* — ♀ ad. *Long. circa* 46 $^1/_2$ *millim.*

Femina *ad.* — Cephalothorax non ita humilis (saltem non planus dicendus), parte cephalica ad longitudinem leviter convexa. Fovea ordinaria centralis sulcum modice (non fortiter) procurvum format, latitudine (transversim) tuber oculorum saltem aequans. Latus inferius maxillarum angulum anteriorem-interiorem paullo productum habet. Metatarsi 6 posteriores apice subter aculeis binis parvis instructi sunt: praeterea inermes sunt pedes. Tarsi (cum scopulis) metatarsis paullo latiores sunt. Scopulae tarsorum omnium integrae; scopulae metatarsorum anteriorum paene ad basin, 3.^{ii} paris ultra medium, 4.^{i} paris (quae sectae sunt) ad medium internodii pertinent. Art. 2.^{s} mamillarum superiorum reliquis articulis non parum brevior est, non multo longior quam latior. Secundum dorsum abdominis vestigia fasciae

longitudinalis nigrae video, quae utrinque postice ramos duos vel tres oblique retro et foras directos emittere videtur (?).

Lg. corp. 46 $^1/_2$ (cum mandib. 53 $^1/_2$) millim.; lg. cephaloth. 24 $^1/_2$, lat. ej. 19, lat. front. 11 $^1/_2$; lg. abd. 23 millim. Ped. I 64, II 57, III 50, IV 62; pat. + tib. I 22 (tib. 13), pat. + tib. IV paene 21 (tib. 12 $^3/_4$), metat. IV paullo plus 15; mam. sup. 8 millim. longae.

Femina singula, ad Kaw-Kareet (Tenasserim) inventa. — A *Selenocosmia albo-striata* Sim. (1), quam Pocock gen. *Melopoei* credit, multis sane rebus differt haec species.

Gen. *Melopoei* haud dubie est species supra descripta: spatium lateris interioris maxillae inter suturam et fimbriam ordinariam marginis inferioris hujus lateris fimbria superiore distincta et bacillis *caret*, et spinis brevibus sat raris fere in series longitudinales 3-4 digestis et versus fimbriam inferiorem gradatim fortioribus sparsum est; latus exterius mandibulae « scopula » e pilis plumosis formata est vestita, cet.; tuber oculorum antice et postice rotundatum est, non multo latius quam longius, clypeus sat altus sive longus: oculi laterales antici spatio eorum longitudine non parum majore a margine clypei sunt remoti; longitudo tibiarum omnium eorum latitudine sive diametro plus triplo major est. Conf. Pocock, On a new and natural Grouping, *cet.*, loc. cit., p. 179. Ad *Cyriopagopum* Sim. araneam nostram retulissem, nisi de hoc genere dixerat Cel. Simon (2): « Pedes omnino mutici. Patella cum tibia 1.i paris multo brevior quam patella cum tibia 4.i paris. Metatarsus et tibia 4.i paris aeque longi », quae in illam non quadrant. Attamen *C. pagano* Sim. (3), eo quoque ex Tenasserim, certe simillimus est *Melopoeus Pocockii*.

(1) Arachn. recueillis dans . . . . le royaume de Siam, *cet.*, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, XL, p. 22.

(2) Hist. Nat. d. Araignées, Ed. 2, I, p. 152 et 149.

(3) Étude sur les Arachn. de l'Asie mérid., faisant partie des Collections de l'Indian Museum (Calcutta). I. Arachn. recueillis à Tavoy par Moti Ram, *in* Journ. Asiat. Soc. of Bengal LVI, Part. II, No 1. 1887.

Subfam. **DIPLURINAE.**

Gen. **Macrothele** (Auss.), 1871.

*12. **M. maculata** (Thor.), *cephalothorace, sterno, partibus oris, palpis et pedibus, ut mamillis supra, testaceo-fuscis, nigro-pilosis, abdomine supra nigro, ordinibus duobus macularum parvarum transversarum obliquarum testacearum (plus minus evidentium) secundum dorsum extensis notato, subter cum mamillis fuligineo et pallido-punctato; oculis lateralibus anticis mediis anticis non parum majoribus, praesertim longioribus, oculis posticis paene aequali magnitudine, vix minoribus quam sunt medii antici; pedibus* 1.ⁱ *paris cephalothorace paene triplo longioribus, tarsis omnibus aculeatis; mamillis superioribus subter carinatis, abdomen longitudine aequantibus, art.* 2.° 1.ᵐ *longitudine aequante,* 3.° 2.ᵐ *longitudine paullo superante.* — ♀ ad. (?) *Long. saltem* 14 *millim.*

Syn.: *Diplura maculata*, Thor., Studi, *cet.*, IV, I, p. 409 (1890).

Femina. — Aranea, cujus diagnosin supra dedi, parum nisi tarsis distinctissime aculeatis et distributione et magnitudine oculorum paullulo aliis a " *Diplura maculata* ", ex Java, differt, quae aranea exemplum parvum immaturum ejusdem speciei certe repraesentat. — *Cephalothorax* tibiam cum patella 4.ⁱ paris longitudine circiter aequat; fovea centralis profunda et sat magna, non multo latior quam longior, tubere oculorum, quod circa duplo et dimidio latius est quam longius, multo angustior (transversim) et sub-ovata, in fundo sulcum rectum transversum formans; impressiones cephalicae distinctissimae non ad foveam centralem pertinent; reliqui sulci radiantes lati et brevissimi sunt, neque ad eam neque ad margines cephalothoracis pertinentes. Desuper visa series oculorum antica levissime recurva est, series postica paullo fortius recurva; a fronte visa series antica sat fortiter deorsum est curvata: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios in vel paullo sub centro secat. Oculi laterales antici mediis anticis non parum majores, praesertim longiores, sunt, medii antici posticis oculis vix majores: laterales postici

oblongi mediis posticis (qui vix longiores quam latiores sunt sed postice, exterius, angulati) angustiores quidem sed parum longiores. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro paullo minus est et paullo majus quam spatium quo a lateralibus anticis distant hi oculi: spatium inter binos laterales etiam, fere duplo, minus est, et parum majus quam spatium exiguum quo laterales postici a mediis posticis distant. *Labium* fere duplo latius quam longius. *Palporum* pars tarsalis partem tibialem vix longitudine superat. *Pedes* 1.^{i} paris pedibus 2.^{i} paris parum longiores sunt. Femora et patellae aculeis carent, tibiae anteriores aculeos binos debiles apice subter habent; tibiae 3.^{ii} et 4.^{i} parium 2. aculeos apice subter, 1. 1. antice, 1. postice. Metatarsi posteriores aculeis compluribus instructi sunt, etiam supra aculeo uno alterove praediti. Tarsi 1.^{i} paris duas series longitudinales aculeorum parvorum subter ostendunt: in tarsis 1.^{i} paris 3 aculeos in serie exteriore, 2 in interiore serie, in tarsis 2.^{i} paris 2 in serie exteriore, 4 in interiore; tarsi 3.^{ii} et 4.^{i} parium 4-5 aculeos in utraque serie et praeterea aculeum in latere posteriore, versus apicem, habent. Unguiculi sunt ut in " *Diplura maculata* " diximus. *Mamillarum* superiorum art. 1.^{s} triplo longior quam latior est, versus basin articulatione spuria praeditum, 2.^{s} 1.º vix longior, 3.^{s} paene duplo angustior et paullo longior quam 2.^{s}. Spatium inter mamillas inferiores eorum diametro saltem 4.plo majus est.

♀ ad. — Lg. corp. 15 (cum mandib. $16\,^{1}/_{2}$) millim.; lg. cephaloth. $7\,^{1}/_{4}$), lat. ej. $6\,^{1}/_{2}$, lat. clyp. circa $3\,^{3}/_{4}$; lg. abd. 8, lat. ej. $5\,^{1}/_{2}$ millim. Palpi paene 12; ped. I 21, II $20\,^{1}/_{2}$, III 19, IV 23; pat. + tib. I 7 (tib. $4\,^{1}/_{2}$), pat. + tib. IV 7 (tib. paene $4\,^{1}/_{2}$), metat. IV 6 millim. Lg. mandib. 4, lat. ear. 2. Mam. sup. saltem 8 millim. longae (= metat. + tars. IV).

Duo exempla, ad Yadò (Carin Asciuii Chebà) capta sunt, quorum maximum (dimensum) adultum videtur. Pullulus, qui ejusdem speciei verisimiliter est (tarsi ejus aculeis carent) in Tenasserim ad Plapoo est inventum.

Fam. ATYPOIDAE.

Gen. **Atypus**, Latr., 1804.

** 13. **A. dorsualis**, n., *cephalothorace piceo vel fusco-testaceo, abdomine cinereo- vel rufescenti-fusco, plaga vel fascia longitudinali lata inaequali nigra in utroque latere; oculis lateralibus binis fere eadem magnitudine et inter se contingentibus, lateralibus posticis mediis posticis duplo majoribus.* — ♀ ad. (?) *Long.* 17 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — Ad formam haec aranea paene omnibus numeris cum *A. Javano*, Thor. [1] congruere videtur, modo paucis rebus ab ea discrepans. *Cephalothorax* ejus aeque longus ac patella + tibia + metatarsus 1.ⁱ vel 4.ⁱ paris est, latitudine maxima $^3/_4$ longitudinis non parum superante. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos duplam eorum diametrum aequare videtur. Oculi antici fere aeque magni sunt; laterales antici lateralibus posticis vix vel parum sunt majores, laterales postici mediis posticis saltem duplo majores. Oculi medii antici spatio diametro oculi non parum majore separati sunt, spatio hac diametro paullo minore a lateralibus anticis remoti, a mediis posticis spatio dimidiam diametrum suam vix aequante sejuncti; oculi medii postici spatio multo minore, dimidiam diametrum minorem oculi medii postici non aequante, a lateralibus posticis distant. Oculi bini laterales inter se contingentes sunt. *Mamillarum* superiorum art. 3.ˢ plus duplo, 4.ˢ triplo longior quam latior est. Praeterea descriptio structurae *A. Javani* plane in hanc speciem quadrat.

Color vero paullo differt. *Cephalothorax* piceus vel sordide testaceo-fuscus est, summo margine laterali et postico nigris, tubere oculorum nigro quoque: ab hac macula nigra fascia media nigricans postice acuminata (plus minus distincta) versus foveam centralem ducta est. *Sternum, palpi* et *pedes* testaceo-fusca; *mandibulae, maxillae* et *labium* cephalothorace plerumque paullo obscuriora, unguis mandibularum niger. *Abdomen* rufe-

[1] Studi, *cet.*, IV, I, loc. cit., p. 413.

scenti- vel cinerascenti-fuscum est, fascia vel plaga longitudinali lata inaequali in utroque latere notatum, quae fasciae interdum valde latae et postice supra anum inter se conjunctae sunt: antice in dorso, apud declivitatem anticam, maculam parvam sub-lunatam laevem testaceam ostendit abdomen. Scuta pulmonalia flava sunt, spatium inter anteriora eorum postice testaceum. *Mamillae* sub-piceae, superiores apice late testaceae (in junioribus omnes mamillae totae testaceae sunt).

Lg. corp. $17\,^1/_2$ (cum mandib. 21); lg. cephaloth. $6\,^1/_2$, lat. ej. $5\,^1/_4$, lat. clyp. 5; lg. abd. $11\,^1/_2$, lat. ej. $7\,^1/_4$ millim. Palpi circa $5\,^1/_2$; ped. I 13, II $11\,^1/_2$, III $10\,^1/_2$, IV $13\,^1/_2$; pat. + tib. I $4\,^1/_4$ (tib. 2), pat. + tib. IV $3\,^1/_4$ (tib. $1\,^1/_4$), metat. IV $2\,^1/_4$; lg. mandib. 5 ,lat. ear. $2\,^1/_2$; mam. sup. $3\,^1/_4$ millim. longae (= pat. + tib. IV).

Feminae nonnullae, quarum singula (dimensa) adulta videtur, ad Yadò (Carin Asciuii Chebà) collectae sunt.

Subordo ANTIODONTES.

Tribus PSEUDOTERRITELARIAE.

Fam. OONOPIDAE.

Gen. **Gamasomorpha,** Karsch, 1881.

14. **G. psyllodes, n., *ferrugineo-rubra, pedibus pallide ferrugineis, palpis testaceis; clypei altitudine diametrum oculorum anticorum paene aequante; cephalothorace dense et sat subtiliter ad longitudinem striato-rugoso, secundum medium tamen usque ad declivitatem posticam laevi, hac declivitate utrinque in ipso margine, supra, dentibus binis parvis munita; scutis abdominis minus dense impresso-punctatis, scuto dorsuali non plane usque ad anum pertinente, scuto ventrali paene ad semi-annulum, qui mamillas infra circumdat, pertinente.* — ♀ ad. *Long. circa* $1\,^2/_3$ *millim.*

G. inclusae (Thor.) (1) valde affinis certe est haec aranea; diversa tamen videtur, quum scutum abdominis dorsuale, quod

(1) Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 29 [*Xestaspis inclusa*].

totum dorsum ejus quidem tegit, non plane usque ad anum pertineat, et scutum ventrale, quod apice late rotundato-truncatum et, in medio, paullo retusum est, spatium parvum inter se et semi-annulum corneum angustissimum mamillas antice sive subter cingentem relinquat. Sulcus genitalis transversus hoc scutum in duas partes, posteriorem anteriore circa dimidio longiorem, dividit. *Cephalothorax*, excepto secundum medium dorsi ipsius, ubi laevis est (*non* postice transversim striatus), ad longitudinem dense impresso-striatus videtur, vel potius granulis humilibus, striis impressis longitudinalibus brevibus et densis separatis, sub-scaber; declivitas postica, alta et satis praerupta, supra, ubi initium capit, utrinque dentes duos parvos ostendit, ut in *G. inclusa*. Clypeus paullo altior quam in ea est visus. Spatium inter *oculos* duos anticos dimidiam eorum diametrum non aequat. *Sternum* paullo longius quam latius est, antice late, postice, inter coxas 4.i paris, anguste truncatum; ut scutum ventrale abdominis punctis parvis impressis sat raris et pilis albis est sparsum; scutum dorsuale punctis sat raris majoribus conspersum est. *Pedes* breves, coxis modo paullo longioribus quam latioribus, sub-globosis; pedes 4.i paris circa 2 millim. longi sunt. Conf. praeterea descriptionem *G.* (*Xestaspidis*) *inclusae*, loc. cit.

Femina singula, ex Bhamò.

Xestaspis bipeltis, Thor., (1) et *X. inclusa* eodem jure ac *X. parmata*, Thor., (2) gen. *Gamasomorphae* adscribendae videntur, etsi scuto vel annulo infra-mamillari carent species illae duae: pedes earum enim « sat breves et robusti » sunt, non « sat longi » dicendi. Sed gen. *Xestaspis* vix a *Gamasomorpha* distingui potest: Conf. Simon, H. N. d. Araignées, Ed. 2, I, p. 298, 301 et 302.

** 15. **G. sculptilis**, n., *rubra, pallido-pilosa, pedibus rubro-testaceis, apice, cum palpis, testaceis; cephalothorace ad magnam partem laevi, dentibus carente, foveis tribus magnis in utroque latere praedito, et in ipso margine laterali, posterius, granuloso; clypei altitudine et spatio inter oculos anticos dimidiam eorum diametrum*

(1) Descriptive Catal., *cet.*, p. 16.

(2) Studi, *cet.*, IV, I, loc. cit., p. 391; Descr. Catal., *cet.*, p. 16.

circiter aequantibus; scutis abdominis duabus paene laevibus, totum dorsum ejus et totum ventrem tegentibus. — ♂ ♀ ad. *Long. paene* 2 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, praesertim anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, fronte $^1/_3$ latitudinis maximae cephalothoracis circiter aequante. Impressiones cephalicae breves foveas duas maximas oblongas sub-triangulas formant, et utrinque in parte thoracica, versus marginem ejus, foveae duae magnae conspiciuntur, quarum posterior in declivitate postica sita est. Nitidissimus est cephalothorax, hic illic, ut in ipso margine laterali, posterius, et utrinque in declivitate postica granulosus, ipso dorso angusto — quod a latere visum praesertim antice evidenter convexum est — anterius laevi, posterius, ante declivitatem posticam, impresso-punctato-rugoso; declivitas postica alta, recta et satis praerupta est. Series *oculorum* postica paullo est recurva, his oculis inter se contingentibus. *Sternum* praesertim versus margines fortiter convexum et hic, ex-adversus interstitia inter coxas, impressionibus transversis praeditum; parum longius quam latius est, antice latissime emarginato-truncatum, postice brevi spatio sensim cito angustatum, apice obtuso vix inter coxas 4.ⁱ paris, quae spatio earum longitudinem paullo superante sunt separati, pertinens.

Mandibulae paullo plus duplo longiores quam latiores, tibias anticas latitudine saltem aequantes. *Labium* paullo latius quam longius, dimidiam longitudinem *maxillarum* incurvarum non superans. *Pedes* breves, pilis pallidis sparsi; coxae non multo longiores quam latiores, coxae 4.ⁱ paris tamen circa dimidio longiores quam latiores. Pedes 4.ⁱ paris 2 $^1/_4$ millim. longi. Scuta *abdominis* ovati (modo duo) ut sternum pilis parvis sparsa sunt, paene laevia, modo omnium subtilissime punctulata; scutum dorsuale totum dorsum paene usque ad anum tegit, scutum ventrale totum ventrem usque ad mamillas. Antice, ubi subito apud petiolum angustatum est et id includit, utrinque rugosum vel granulosum videtur hoc scutum; sulco genitali procurvo in duas partes est divisum, quarum posterior anteriore non parum longior est, postice late rotundato-truncata.

Mas. — *Palpi* maris sat breves, forma non insolita: pars patellaris paullo longior quam latior est, pars tibialis ea paullulo brevior et crassior, apicem versus angustata; pars tarsalis longitudine partis tibialis circiter est, modo basin bulbi tegens; bulbus, reliquo palpo pallidior, partes patellarem et tibialem conjunctas longitudine fere aequat, iis basi multo crassior, paullo longior quam latior, piriformis et in apicem gracilem rectum reliquo bulbo fere triplo breviorem exiens.

Marem et feminam in montibus Carin Chebà sive Bia-pò invenit Fea.

Fam. DYSDERIDAE.

Subfam. **SEGESTRIINAE.**

Gen. **Ariadne,** Sav. (1), 1825-1827.

16. **A. monticola, n., *cephalothorace nigro, laevissimo et nitidissimo, pedibus piceo-testaceis, praesertim anterioribus apicem versus obscurioribus, piceo-nigris; pedibus anterioribus pedes 4.i paris vix vel parum longitudine superantibus; aculeis pedum anteriorum nec crebris nec multo fortibus; abdomine sub-ovato, nigro, sat dense sub-fusco-piloso.* — ♀ ad. *Long. circa* 8 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* formae in hoc genere ordinariae est, humilis, paene duplo longior quam latior, latitudine clypei dimidiam latitudinem maximam cephalothoracis paullo superante, fronte truncata, dorso a latere viso leviter convexo. Series *oculorum* 4 posteriorum paene aequalium desuper visa recta est, a fronte visa paullo deorsum curvata; oculi ejus medii contingentes sunt inter se, a lateralibus posticis spatio diametro sua circa dimidio majore separati; oculi duo seriei anticae, quae serie postica paullo brevior est, posterioribus oculis paullo sunt majores. Oculi bini laterales contingentes sunt inter se. Oculi antici spatio eorum diametro longiore paene duplo majore a margine clypei remoti sunt.

Mandibulae a basi ad apicem truncatum sensim angustatae

(1) *Non* « Aud. in Sav. »: conf Thor., Studi, *cet.*, IV, I, p. 21, *notam.*

sunt, paene duplo longiores quam latiores basi, ubi femora antica latitudine aequant; deorsum et paullo anteriora versus directae, in dorso paene rectae, ad longitudinem parum convexae. Sulcus unguicularis parum distinctus antice serie densa setarum rigidarum limitatur; unguis brevissimus, basi intus crassissimus, leviter incurvus. *Labium* circa dimidio longius quam latius; maxillae parallelae eo fere duplo longiores. *Pedes* 1.^{i}, 2.^{i} et 4.^{i} parium fere eadem longitudine sunt, 3.^{ii} paris iis non parum breviores; pilis sat longis minus densis vestiti sunt pedes. Minus dense aculeati sunt, aculeis pedum anteriorum reliquis aculeis non vel parum majoribus. Patellae omnium pedum aculeis carent. In pedibus 1.^{i} paris femora in latere anteriore versus apicem 1. 1. aculeos inter se proximos ostendit, tibiae subter 2. 2. 2., antice 1. 1. 1. aculeos, metatarsi modo 1. 1. 2. subter (metatarsi 2.^{i} paris vero subter 2. 1. 2. et antice 1): in pedibus posterioribus pauciores sunt aculei: 4.^{i} paris pedes singulum aculeum gracilem apice subter in tibiis, et 1. 2. subter in metatarsis habet. Unguiculi tarsorum superiores longi et dense pectinato-dentati, dentibus praesertim in pedibus anterioribus longis et densissimis. *Abdomen* longius ovatum vel ellipticum, pilis sat longis densius conspersum; *mamillae* brevissimae.

Color. — *Cephalothorax* cum *mandibulis* niger, nitidissimus. *Partes oris, palpi* et *sternum* picea, hoc secundum medium paullo clarius. *Pedes* piceo-testacei, praesertim anteriores apicem versus magis magisque obscuri, picei vel nigro-picei; nigro-aculeati sunt pedes et sub-fusco-pilosi. *Abdomen* nigrum (lituris punctisque nonnullis pallidis in dorso?), sub-fusco-pilosum; fissura genitalis tamen flavo-limbata est, et spiracula duo utriusque lateris postice in plaga oblonga obliqua inaequali flaventi sunt posita. *Mamillae* sub-fuscae.

Lg. corp. 8; lg. cephaloth. paene 4, lat. ej. 2 $^{1}/_{3}$, lat. clyp. 1 $^{1}/_{2}$; lg. abd. 5 $^{1}/_{4}$, lat. ej. paullo plus 3 millim. Ped. I paullo plus 8 $^{3}/_{4}$, II 8 $^{3}/_{4}$, III 7, IV circa 8 $^{3}/_{4}$; pat. + tib. I 3, pat. + tib. IV 3 $^{1}/_{2}$ millim.

Femina singula, quam adultam credo, quum fissuram genitalem apertam habeat, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò inventa est.

Tribus **TUBITELARIAE.**

Fam. PALPIMANIDAE.

Subfam. **STENOCHILINAE.**

Gen. **Metronax,** Sim., 1893.

17. **M. crocatus** (Sim.), Arachn. recueillis en Birmanie, *cet.*, *in* Ann. Mus. Civ. Genova, XX, p. 341 (1884) [*Stenochilus crocatus*]; Thor., Descr. Catal. *cet.*, p. 28 (1895).

Mas et femina: Bhamò; femina: Palòn.

18. **M. laetus**, Thor., Descr. Catal. *cet.*, p. 18 (1895).

Femina junior, 4 $^1/_2$ millim. longa: Palòn; mas jun.: Prome. — Fieri potest, ut *M. laetus* nihil nisi pullus sit *M. crocati;* quod in praesenti neque affirmare nec negare audeo.

Fam. ZODARIIDAE.

Subfam. **STORENOMORPHINAE.**

Gen. **Storenomorpha,** Sim., 1884.

19. **S. Comotti**, Sim., Arachn. recueillis en Birmanie, *cet.*, *in* Ann. Mus. Civ. Genova, XX, p. 353 (1884); Thor., Descr. Catal. *cet.*, p. 22 (1895).

Exempla pauca utriusque sexus, ex montibus Carin Chebà sive Biapò. — Apex posticus lineae mediae albae vel flaventis dorsi abdominis in maculam parvam oblongam dilatatus est.

Subfam. **STORENINAE.**

Gen. **Storena,** Walck., 1805.

*20. **S. melanognatha**, Van Hass., Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 34, Pl. II, fig. 6, Pl. V, fig. 1 et 2 (1882); Thor., Studi, *cet.*, IV, I, p. 330 (1890).

Femina singula, ex montibus Carin Chebà sive Bia-pò.

21. **S. exornata,** Thor., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 69 (1887) = ♂; *S. suavis,* id., Descr. Catal., p. 25 (1895) = ♀. Marem et feminas nonnullas in montibus Carin Chebà sive Biapò collegit Fea; alias feminas paucas ad Palòn et Teinzò et in montibus Carin Asciuii Ghecù sive Padaun, ad Chialà, 1400-1500^{m} supra mare, invenit.

« *S. suavis* » femina *S. exornatae* sine ullo dubio est. — In exemplis femineis quibusdam maculae duae anteriores trapezii in dorso abdominis, antice, *non* ut in exemplo typico *S. suavis* parvae et duabus insequentibus minores sunt, sed eas magnitudine aequant vel superant; nonnumquam tamen obsoletae sunt aut anteriores aut posteriores harum quattuor macularum. Latera abdominis pallida 2-3 fascias obliquas nigricantes saepe ostendunt, et venter fascias longitudinales 3-4 nigras. Interdum maculae (foveae transversae) illae duae nigrae areae vulvae spatio minore (diametro maculae parum majore) quam in typo illo separatae videntur. Femora saepe apice late nigricantia sunt.

22. **S. fronto,** Thor., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 65 (1887). Feminae duae, altera Carin Chebà l. Biapò, altera Carin Ghecù signata.

23. **S. decorata,** Thor., *cephalothorace plane inverse ovato, sat subtiliter coriaceo, opaco, cinereo-pubescenti, fronte fortiter rotundata et parte thoracica dimidio angustiore; oculis 4 mediis, quorum antici saltem mediis posticis fere duplo majores sunt, aream paullo longiorem quam latiorem et parum latiorem antice quam postice occupantibus, anticis eorum cum lateralibus posticis seriem a fronte visam rectam, vix procurvam, formantibus, binis lateralibus spatio parvo disjunctis; pedibus luteo-testaceis, metatarsis tarsisque sub-piceis, femoribus apice latissime nigricantibus; abdomine supra et in lateribus nigro, hac pictura albicanti in dorso ornato: antice maculis 4 magnis (posterioribus duabus obliquis) in trapezium dispositis, et pone eas serie vittarum transversarum paucarum, quarum prima sat brevis in medio abrupta est, insequentes ea (transversim) longiores et cum macula apicali plus minus in plagam magnam coalitis; ventre*

sordide testaceo, fasciis longitudinalibus tribus angustis nigris, posteriora versus inter se appropinquantibus notato. — ♂ ad. *Long. circa* 6 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1895. *Storena decorata* Thor., Descr. Catal. *cet.*, p. 23 (= ♀).

Mas. — Pars *palporum* patellaris paullo longior quam latior est, pars tibialis ea fere duplo latior et dimidio brevior, apice late et leviter emarginata; latus ejus exterius magis antice in procursum fortem deorsum directum transit, qui a basi ad apicem sensim angustatus est, parte apicali ejus tamen exterius sive supra cito paullo fortius angustato sive depresso, ipso apice a latere viso valde oblique truncato et acuminato; hic procursus ipsa parte tibiali paullo brevior est. Clava maxima, femoribus anticis plus duplo latior; pars tarsalis inverse dimidiato-piriformis fere est, latere interiore excepto versus apicem fortissime rotundato, latere exteriore plane recto. Bulbus valde complicatus: basi subter, magis intus, procursum fortem sat longum rufescentem deorsum directum et retro curvatum ostendit, qui in spinam longissimam nigram sursum et anteriora versus curvatam exit, hac spina ut in *S. irrorata*, ♂ (1), bulbum secundum marginem interiorem (*non* exteriorem, ut in descriptione maris illius loc. cit. lapso est dictum) partis tarsalis cingente. In ipso apice bulbus dentem longum gracilem deorsum directum et, prope eum magis intus, procursum sat crassum obtusum magis anteriora versus directum ostendit; pone eos, ante medium, subter, alium dentem deorsum et anteriora versus directum video; denique, non longe ante basin, exterius, dentem fortiorem deorsum directum habet latus inferius bulbi. (In *S. irrorata*, ♂, bulbus subter inter basin et apicem modo dentem singulum minutum fere in medio longitudinis situm ostendit).

Lg. corp. 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3 $^3/_4$, lat. ej. 3, lat. clyp. paene 2; lg. abd. paene 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_3$ millim. Ped. I paene 12, II paene 10, III 10, IV 12; pat. + tib. IV 3 $^4/_5$, metat. IV 3 $^1/_2$ millim.

Marem singulum in montibus Carin Chebà sive Biapò invenit Fea; alia exempla pauca, pleraque mascula, ad Tagatà (Tenas-

(1) Descr. Catal., *cet.*, p. 28.

serim) collegit. — Prope medium marginis postici areae vulvae (vid. descr. feminae, loc. cit.) maculas duas minutas oblongas (sive lineolas brevissimas) nigras, posteriora versus paullo inter se appropinquantes video.

24. **S. irrorata**, Thor., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 72 (1887); — id., Descr. Catal. *cet.*, p. 27 (1895).

Exempla nonnulla utriusque sexus, ad Palòn et Rangoon collecta.

Gen. **Asceua**, Thor., 1887.

** 25. **A. amabilis**, n., *cephalothorace rufescenti, parte thoracica nigro-limbata et* **V** *nigro a parte cephalica limitata; oculis posticis anticis oculis fere duplo majoribus; pedibus luteis, tibiis annulo lato sub-fusco cinctis, femoribus setis binis brevibus supra instructis; dorso abdominis nigro, hac pictura testaceo-alba ornato: anterius maculis duabus sat magnis, quae cum vitta lata in maculas duas transversas abruptas trapezium formant, et pone eas vittis* 3-4, *ultima vel ultimis earum cum macula apicali coalitis; ventre late cum lateribus inferius (praesertim antice) testaceo-albo, his anterius macula majore nigra, illo postice maculis* 3 *parvis nigris notato.* — ♀ ad. *Long. circa* $3\,^1/_3$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, latitudine frontis rotundatae fere $^2/_3$ latitudinis partis thoracicae aequante, ad formam fere ut in *A. elegante,* Thor. (1); utrinque anterius leviter sinuatus est, parte cephalica lateribus primum rectis dein leviter rotundatis anteriora versus sensim angustata; altitudo clypei longitudine areae oculorum paullo major, sed longitudine mandibularum paullo minor videtur. Area *oculorum* paene totam frontem occupat; series oculorum postica circiter dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam series antica, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata, desuper visa modice procurva; series antica a fronte visa leviter deorsum curvata est, desuper visa recta. Oculi postici anticis paene duplo majores sunt; medii antici, inter se contingentes, a lateralibus

(1) Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 76.

anticis, quibus paullulo majores sunt, spatio parvo sed evidenti separati. Oculi medii postici spatio eorum diametrum fere aequante sunt sejuncti, a lateralibus posticis spatio duplo majore remoti. Area mediorum saltem dimidio longior est quam latior postice, et circa dimidio latior postice quam antice. Oculi bini laterales spatio diametrum posterioris eorum paullo superante disjuncti sunt; medii antici a mediis posticis spatio non parum majore, diametro oculi medii antici saltem triplo (et medii postici plus duplo) majore separati. *Pedes* parcius pilosi, in femoribus aculeis binis gracilibus, vel potius setis binis brevibus instructi. *Abdomen* inverse ovatum, apice breviter acuminatum. *Vulva* ex fovea parva sub-transversa fusca constare est visa.

Color. — *Cephalothorax* cum mandibulis pallidius rufus est, limbo partis thoracicae sat late nigro, parte cephalica posterius **V** nigro limitata, et sulco centrali nigro. *Sternum, maxillae, labium* lutea. *Palpi* et *pedes* lutei, coxis flaventibus; tibiae annulo medio lato sub-fusco cincta sunt. *Abdomen* superius nigrum est, subter late cum lateribus infra, praesertim anterius, testaceo-albicans. Dorsum abdominis anterius maculas 4 sat magnas in trapezium antice multo angustius quam postice dispositas ostendit, quarum duae posteriores latae et transversae sunt, vel potius vittam latam transversam in medio abruptam formantes dicendae; pone eas sequitur series vittarum transversarum 3 vel 4 gradatim breviorum, quarum duae primae in medio postice paullo incisae vel emarginatae sunt, ultima vel duae ultimae inter se et cum macula parva apicali coalitae: utrinque, parum pone tertiam, macula sat magna ejusdem coloris conspicitur, quae in latere anteriora versus producta est: apex dorsi etiam testaceo-albicans dici potest, macula sat magna nigra utrinque apud *mamillas* flavo-testaceas. In utroque latere, infra et paullo ante medium, macula mediocris nigra conspicitur, et in ventre posterius maculae tres parvae nigrae in triangulum dispositae.

Lg. corp. $3\,{}^1/_3$; lg. cephaloth. $1\,{}^1/_2$, lat. ej. circa $1\,{}^1/_6$, lat. clyp. circa ${}^4/_5$; lg. abd. $1\,{}^5/_6$, lat. ej. $1\,{}^1/_6$ millim. Ped. I 4, II $3\,{}^3/_4$, III $3\,{}^1/_2$, IV $4\,{}^3/_4$; pat. + tib. IV $1\,{}^1/_2$ millim.

Femina singula in montibus Carin Chebà sive Bia-pò inventa est.

Fam. OEDIGNATHIDAE.

Gen. **Oedignatha**, Thor., 1881.

** 26. **Oe. bucculenta**, n., *cephalothorace nigro-piceo, parum breviore quam tibia cum patella 4.i paris, dense et sat subtiliter coriaceo, clypeo tuberculo medio praedito; mandibulis rufo-piceis, sulco unguiculari in margine antico 3 dentibus, in margine postico serie dentium 8 praedito; pedibus piceis, tibiis saltem 1.i et 4.i parium apice pallidis, pedibus 4.i paris reliquos longitudine superantibus, tibiis 1.i paris 9 paribus aculeorum longorum appressorum, metatarsis ejusdem paris 6, tibiis 2.i paris 7 vel 8, metatarsis hujus paris 5 paribus aculeorum ejusmodi subter armatis; abdomine nigricanti, scuto dorsuali nigro-piceo immaculato inverse ovato et ultra medium longitudinis dorsi pertinente praedito, ventre linea vel fascia longitudinali testacea notato.* — ♀ ad. *Long. circa 7 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* ad formam est ut in *Oe. radiata*, Thor. (1), vel potius ut in *Oe. scrobiculata*, id. (2), margine laterali partis thoracicae integro, non supra coxas sinuato; multo angustior est postice quam antice, impressionibus cephalicis parum expressis, margine tenui elevato posterius cincto, postice emarginato; sulcus centralis brevissimus est: ante eum, in parte cephalica postice, foveam levem sat magnam transversam video. Sat subtiliter coriaceus est cephalothorax totus; clypeus in medio, inferius, tuberculum porrectum format. *Oculi* ut in descriptione *Oe. radiatae* est dictum, excepto quod bini laterales spatio minore quam in ea disjuncti videntur, quod area oculorum mediorum paullulo latior est antice quam longior, et quod spatium inter oculos medios posticos eorum diametro duplo majus est, his oculis a lateralibus posticis spatio diametro sua evidenter majore separatis. *Sternum* ut in ea, punctis minutis sparsum; antice quidem truncatum videtur, sed re vera hic in medio profunde emarginatum est, partem posteriorem labii ita includens, et lateribus suis usque ad basin maxillarum pertinens; apice suo postico

(1) Studi, *cet.*, III, p. 210.

(2) Vid. praesertim Stud., *cet.*, IV, I, p. 345.

obtuso longe inter coxas 4.[i] paris, quae spatio dimidiam earum latitudinem vix aequante separatae sunt, pertinet.

Mandibulae forma in hoc genere ordinaria, in dorso ad longitudinem fortissime convexae, laeves et nitidissimae, pilis sparsae; a fronte visae plus duplo longiores quam latiores sunt, a latere visae breviter piriformes. Sulcus unguicularis in margine antico 3 dentes, 2 majores, tertium (interiorem) minorem, habet, in margine postico seriem longam dentium 8, quorum duo ad ipsam basin unguis siti reliquis minores sunt. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, in latere exteriore late sinuatae, ante labium intus valde oblique truncatae, in medio paene parallelae, non evidenter transversim impressae. *Labium*, quod ad medium longitudinis maxillarum pertinet, paene dimidio longius quam latius est, basi subito constrictum et angustatum. *Palpi* graciles; pars patellaris paullo plus duplo, pars tibialis plus triplo longior quam latior, pars tarsalis etiam paullo longior et leviter incrassata; pars femoralis seriem setarum erectarum subter ostendit. *Pedes* mediocres, 4.[i] paris cephalothorace plus 3.plo longiores et pedibus 1.[i] paris non parum longiores. Tibiae et metatarsi anteriores aculeis sat gracilibus, appressis et in paria dispositis, praesertim in pedibus 1.[i] paris valde longis, anteriora versus et paullo intus directis subter armati sunt, 9 paribus in tibiis 1.[i] paris, 7 vel 8 paribus in tibiis 2.[i] paris, 6 paribus in metatarsis 1.[i] paris et 5 paribus in metatarsis 2.[i] paris; praeterea 1 aculeum gracilem in femoribus 1.[i] paris, antice versus apicem situm, video. Pedes posteriores modo aculeos paucissimos ostendunt. Praeterea pedes pubescentia tenuissima vestiti et pilis longis patentibus conspersi sunt. *Abdomen* breviter et inverse ovatum est, fere aeque altum ac latum. Antice in dorso scuto duriusculo inverse ovato, postice truncato praeditum est, quod a basi paene ad $^2/_3$ longitudinis dorsi pertinet, et quod laeve et opacum videtur; ante plicaturam genitalem cutis scutum duriusculum format, quod utrinque sursum in declivitatem abdominis anticam continuatur, ita petiolum undique includens, in medio tubulum brevissimum (petioli partem abdominalem) formans. *Mamillae* brevissimae, inferiores evidenter longiores quam superiores.

Color. — *Cephalothorax* et *sternum* nigro-picea; mandibulae piceo-rufa, ut *maxillae* versus apicem; basi cum labio magis piceae sunt maxillae. *Palpi* et *pedes* picei, coxis magis rufo-piceis, tibiis praesertim 1.[i] et 4.[i] parium apice sat late testaceis. *Abdomen* nigricans, scuto dorsuali nigro-piceo, ventre ante plicaturam genitalem rufo-piceo; ab hac plicatura ad mamillas testaceas fascia media angusta testacea ducta videtur.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. clyp. paullo plus 1 $^3/_4$; lg. abd. 4, lat. ej. 3 millim. Ped. I 9, II 8, III 7 $^1/_2$, 4 10 $^3/_4$; pat. + tib. IV 3 $^1/_2$, metat. + tars. IV 4 $^2/_3$ millim.

Femina singula, ex montibus Carin Chebà sive Bia-pò.

** 27. **Oe. rugulosa**, n., *cephalothorace tibiam cum patella 4.*[i] *paris longitudine aequante, nigro-piceo, inaequaliter impresso-punctato et -ruguloso, punctis et rugulis ad magnam partem densis et fere in cuneos radiantes utrinque dispositis, parte cephalica supra laevi, tuberculo distincto in medio clypei carente; pedibus, quorum* 1.[i] *paris* 4.[i] *paris pedes longitudine superant, ferrugineo-luteis vel clarioribus, femoribus apice nigris, tibiis magis ferrugineis, apice pallidis; tibiis* 1.[i] *paris aculeorum paribus* 7 *vel* 8, *tibiis* 2.[i] *paris* 6 *paribus, metatarsis anterioribus* 5 *vel* 6 *paribus aculeorum longorum appressorum subter instructis; abdomine nigro, supra, antice, scuto inverse ovato, nitido, nigro, immaculato, ad circa* $^3/_4$ *longitudinis dorsi pertinente instructo.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Oe. radiatae*, Thor. (1), ex Nova Guinea, cujus abdomen tamen ignotum est, haec species praesertim affinis videtur, defectu tuberculi distincti in medio clypei praesertim sine negotio ab ea dignoscenda: *cephalothorax* praeterea paene eadem forma est, sed utrinque in margine laterali partis thoracicae non ter sed modo bis (supra coxas 2.[i] et 3.[ii] parium) omnium levissime sinuatus. Pars cephalica supra laevis; praeterea cephalothorax inaequaliter ruguloso-punctatus est, rugulis et punctis impressis ad maximam partem in areas radiantes fere cuneiformes

(1) Studi, cet., III, p. 210.

utrinque digestis. Sulcus ordinarius centralis trochanteres longitudine paene aequat. Area *oculorum* mediorum saltem aeque longa est ac lata antice; oculi medii postici, spatio diametrum suam modo paullulo superante sejuncti, modo paullo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. *Sternum* postice inter et usque pone coxas 4.^{i} paris, quae spatio earum diametrum paene aequante separatae sunt, pertinet, ipso apice paullo dilatato et truncato. Elevationes utrinque ad margines laterales distinctissimae sunt; praeterea laeve et nitidum est sternum vel modo punctis subtilissimis conspersum.

Mandibularum sulcus unguicularis antice 3 dentibus, 2 majoribus, 3.^{io} (intimo) parvo armatus est, in margine postico vero serie dentium mediocrium 6. *Maxillae* et labium ut in priore specie diximus. *Pedes* paullo longiores sunt sed paene eodem modo aculeati; pedes 1.^{i} paris modo paullo longiores sunt quam pedes 4.^{i} paris. Praeter aculeum gracilem versus apicem lateris anterioris, alium ejusmodi aculeum supra versus basin ostendunt femora anteriora. In pedibus 1.^{i} paris tibiae subter 7-8 paria aculeorum ostendunt, tibiae 2.^{i} paris 6 paria; metatarsi anteriores 5 vel 6 paria aculeorum subter habent. *Abdomen* inverse ovatum, scuto dorsuali anguste et inverse ovato, a basi dorsi ad circa $^{3}/_{4}$ longitudinis ejus pertinente. Cutis ventris ante plicaturam genitalem scutum petiolum cingens et tubulum brevissimum pro eo format: hoc scutum in medio apud plicaturam illam quasi in tuberculum magnum obtusissimnm est elevatum, quod postice maculas duas oblongas paullo foras curvatas nigras *(vulvam)* ostendit.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus. *Sternum, maxillae* et *labium* picea, *mandibulae* rufo-piceae. *Pedes* ad maximam partem ferrugineo-lutei (posteriores paullo clariores), femoribus apice saltem utrinque piceis vel nigris, tibiis anterioribus, apice anguste testaceo excepto, ferrugineis. *Abdomen* nigrum et opacum est, maculis minutis pallidis consperso, scuto dorsuali nitido nigro immaculato; venter ante plicaturam genitalem ferrugineus. *Mamillae* flaventes.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 2 $^{1}/_{4}$, lat. ej. 1 $^{3}/_{4}$, lat. clyp. circa 1;

lg. abd. 3 1/6, lat. ej. 2 millim. Ped. I 7 3/4, II 6 1/5, III 5, IV 7 2/3; pat. + tib. IV 2 1/4, metat. + tars. IV 3 millim.

Singula femina, ex Chialà.

Gen. **Aepygnatha**, (1) n.

Hoc novum genus modo mandibularum forma peculiari ab *Oedignatha*, cujus notas in Stud., cet. III, p. 208 (et IV, I, p. 345, *nota*) dedimus, differt: mandibulae *Aepygnathae*, anteriora versus et deorsum directae, altissimae sunt, a latere visae a basi anteriora versus sensim non parum dilatatae, et dein supra fortissime geniculato-convexae, apice praerupte deorsum directo.

28. **Ae. ferox, n., *cephalothorace sordide fusco vel nigricanti, pedibus nigricantibus, basi late pallidioribus et plus minus late pallido-annulatis, tarsis testaceis; abdomine nigro, subter cinerascenti; tibiis* 1.i *paris subter* 8 *paribus aculeorum longorum appressorum armatis, tibiis* 2.i *paris subter* 7 *paribus, metatarsis anterioribus* 5 *vel* 6 *paribus aculeorum ejusmodi subter instructis* — ♀ (?) *jun. Long. saltem* 6 1/2 *millim.*

Femina (?) *jun.* — *Cephalothorax*, laevis et nitidus pilisque sparsus, ad formam plane est ut in e. gr. *Oedignatha scrobiculata* (2), in lateribus ad coxas vix sinuatus, multo angustior postice, ubi elevato-marginatus et in medio retusus est, quam antice; frons lata et leviter rotundata est. Clypei veri altitudo longitudinem areae oculorum mediorum fere aequat: spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos eorum diametro evidenter majus est; cum mandibulis spatio molli est unitus et tuberculo sat parvo in medio praeditus. *Oculi* paene ut in *Oedignathis*. Series oculorum antica sat fortiter deorsum est curvata, series postica paullo procurva. Oculi laterales antici reliquis oculis sub-aequalibus non parum majores sunt; area mediorum non parum latior est postice quam antice et paullo latior antice quam longior. Spatium inter oculos medios anticos oculi diametro evi-

(1) αἰπύς, altus; γνάθος, mandibula.

(2) Vid. *Thor.* Studi *cet.*, IV, I, p. 345.

denter paullo majus est; a lateralibus anticis spatiis hanc diametrum aequantibus distant. Spatium inter medios posticos eorum diametro plus duplo majus est, spatia inter eos et laterales posticos oculi diametro paene duplo majora. Spatium inter oculos binos laterales paullo minus est quam haec spatia et quam spatia quibus oculi medii antici a mediis posticis sunt sejuncti. *Sternum* ad formam est ut in *Oedignathis* (conf. species praecedentes), laeve et nitidum, inter et pone coxas 4.ⁱ paris, quae spatio dimidiam earum diametrum vix aequante separatae sunt, apice longo et, ut videtur, apice emarginato (ad petiolum recipiendum) pertinens.

Mandibulae, circa duplo altiores quam latiores et intus planae, a dorso visae ovato-cylindratae sunt, duplo et dimidio longiores quam latiores, intus rectae, in latere exteriore ad longitudinem leviter convexae; basi quidem quasi in formam colli brevis angustatae sunt, sed tum supra modo paullo rotundato-elevatae, dorso ad longitudinem primum modo leviter convexo, dein geniculato, denique directo; a latere exteriore visae enim non ut in *Oedignatha* piriformes sunt mandibule, sed fere breviter et inverse ovatae, ad circa $^2/_3$ longitudinis apicem versus sensim paullo *dilatatae*, dein dorso fortiter geniculato-convexo cito angustatae, apice praerupte directo, immo paullo reclinato: mandibulis Theraphosidarum nonnullarum, e. gr. gen. *Migae* et *Rhiani* sat similes igitur. Laeves et nitidae sunt, pilis longis sparsae. Sulcus unguicularis antice dentibus 3, postice serie dentium 8 (quorum duo ad basin unguis siti minuti sunt) est munitus; unguis longus, oblique intus et retro directus. *Maxillae* porrectae, parallelae, plus duplo longiores quam latiores, non parum latiores versus apicem quam in medio, in latere exteriore late sed leviter sinuatae, hoc latere versus apicem, cum eo exterius, fortiter rotundato, apice intus late et oblique truncatae, in dimidio basali, intus, circum labium curvatae. *Labium*, quod ad medium maxillarum pertinet, paullo longius quam latius est, basi constrictum, apice late truncatum. *Palpi* ad formam ut in gen. priore; pars tarsalis vero internodiis praecedentibus non parum crassior est. *Pedes* sat graciles et longi, coxis longis; parce pilosi sunt, scopulis carentes; fere ut in gen. priore aculeati. Femora 1.ⁱ paris, e.

gr., 1. aculeum antice versus apicem et, ut femora 2.ⁱ paris, 1. versus basin supra ostendunt; tibiae 1.ⁱ paris 8, tibiae 2.ⁱ paris 7, metatarsi anteriores 5 (vel 6) paria aculeorum subter habent. Pedes posteriores modo aculeis paucissimis praediti videntur. Unguiculi tarsorum bini graciles, dorso paene recto, apice longo fortiter deorsum curvato; modo 3 dentibus raris et sat brevibus pectinati sunt (ita saltem in pedibus 1.ⁱ paris). Fasciculi unguiculares parvi. *Abdomen* altum, sat breviter et inverse ovatum; cutis dorsi paullo duriuscula videtur (in adultis scutum dorsuale verisimiliter format). *Mamillae* ut in *Oedignatha.*

Color. — *Cephalothorax* sordide fuscus vel nigricans est, *sternum* cum *labio* pallide fuscum. *Mandibulae* sordide testaceo-fuscae, *maxillae* sordide testaceae. *Pedes* nigricantes vel sordide testaceo-fusci, basi late sordide testacei; tibiae apice plus minus late testaceae sunt, ut metatarsi saltem basi; tarsi testacei. *Abdomen* nigrum, ventre cinerascenti, ante plicaturam genitalem pallide testaceo. *Mamillae* flaventes.

♀ (?) jun. — Lg. corp. 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 $^1/_3$, lat. clyp. paene 2; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 9, II 8, III 7 $^1/_4$, IV paullo plus 10; pat. + tib. IV 3, metat. + tars. IV 4 $^1/_4$ millim.

Exempla duo juniora, quae feminea credo, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò inventae sunt.

Fam. PRODIDOMIDAE.

Gen. **Prodidomus**, Hentz, 1847.

29. **P. Birmanicus, n., *cephalothorace rufo-testaceo, laevi, albo-piloso; sterno, partibus oris et extremitatibus luteis, abdomine cinerascenti, sub-testaceo-pubescenti; metatarsis posticis aculeo subter ad apicem munitis; vulva ex area parva ferruginea sub-quadrata ad longitudinem sulcata constante.* — ♀ ad. *Long. circa 4 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequante; laevis est (non coriaceus) et pilis appressis minus dense vestitus. *Oculi* in aream aeque longam ac latam, dimidiato-ellipticam fere, dispositi;

oculi 4 antici lineam a fronte visam rectam formant, reliqui oculi lineam fortissime procurvam, serie antica non longiorem. Oculi medii antici, laterales posticos magnitudine aequantes, sed reliquis oculis paullo minores, spatio parvo, dimidiam diametrum suam non aequante, separati sunt: oculi medii postici, longi et obliqui, spatio sunt separati quod dimidiam eorum diametrum fere aequat: praeterea oculi (utriusque lateris) contingentes sunt inter se et paene eadem magnitudine. *Sternum* paullo longius quam latius, paene orbiculatum.

Mandibulae plus dimidio longiores quam latiores, tibiis anticis paullo crassiores. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores, in *labium*, quod multo latius quam longius et apice late truncatum est visum, incurvae et eo duplo longiores. *Palporum* pars patellaris paullo longior quam latior est, pars tibialis ea paullo longior; pars tarsalis partem tibialem longitudine saltem aequat, ea crassior. *Pedes* sat breves (4.ⁱ paris 4 $^{2}/_{3}$ millim. longi), trochanteribus longis, in pedibus 4.ⁱ paris coxas longitudine aequantibus; parcius pilosi sunt pedes; subter ad apicem metatarsorum 4.ⁱ paris aculeum video: praeterea aculeis carere videntur pedes non tantum anteriores verum etiam posteriores. Unguiculi tarsorum bini parvi, graciles et mutici sunt. *Abdomen* paene duplo longius quam latius, anguste et inverse ovatum, pube sat densa appressa vestitum. *Vulva* ex area parva ferruginea sub-quadrata constat, quae ex costis tribus longitudinalibus, sulcis duobus fortibus separatis, formata videtur. *Mamillae* superiores paullo longiores et crassiores quam inferiores, quae basi spatio modo minuto separatae sunt.

Color. — *Cephalothorax* rufo-testaceus, albo-pilosus; *sternum* luteum, margine tenui nigro saltem antice et postice abrupto cinctum. *Palpi* et *pedes* pallido-pilosi, cum *partibus oris* lutei. *Abdomen*, quod cinereum fuisse videtur, pube sub-testacea vestitum est. *Mamillae* sordide testaceae.

Femina singula, ad Mandalay inventa. — *P. Chaperi* (Sim.) (1), ex India, haec species simillima videtur, sed multo minor est,

(1) Descr. de quelques Arachn. des genres Miltia et Zimiris, *in* Comptes-rendus de la Soc. Entom. de Belgique, Avril 1884, p. (2) [*Miltia Chaperi*].

cephalothorace laevi, non coriaceo et, ni fallor, pedibus posticis modo aculeo singulo, subter ad apicem metatarsorum posito praeditis, internoscenda.

Fam. DRASSIDAE (¹).

Gen. **Drassodes**, Westr., 1851.

30. **D. insidiator, n., *cephalothorace, sterno et partibus oris rufescenti-fuscis, palpis et pedibus sordide testaceo-fuscis, abdomine cinerascenti, pube pallidius cinerascenti vestito; oculis mediis anticis lateralibus anticis non parum (mediis obliquis parum) majoribus et spatio dimidiam diametrum suam aequante separatis, a lateralibus anticis spatiis duplo minoribus remotis; area oculorum mediorum rectangula; sulco unguiculari mandibularum antice dentibus* 3, *postice* 2 *dentibus armato; tibiis posterioribus etiam supra* 1. 1. *aculeis instructis; vulva ex area sat parva depressa constante, quae maculas* 4 *parvas fuscas (anteriores minores) in trapezium dispositas ostendit.* — ♀ ad. *Long.* 7 ¹/₄-9 ¹/₄ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* humilis est, dorso ad longitudinem parum convexo, clypeo paullo plus dimidium partis thoracicae latitudine aequante; parcius pubescens et pilosus fuisse videtur. *Oculorum* series antica leviter deorsum curvata est, series postica desuper visa leviter procurva, a fronte visa paullo fortius deorsum curvata. Oculi medii antici lateralibus anticis non parum, mediis posticis paullo oblongis modo parum majores sunt; laterales antici lateralibus posticis paullo majores videntur. Spatium inter oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum aequat; a lateralibus anticis spatiis duplo minoribus separati sunt. Spatium, quo oculi medii postici obliqui postice sunt sejuncti, dimidiam eorum diametrum majorem non aequat, sed a lateralibus posticis spatiis

(¹) Ad hanc familiam modo ea genera hic refero, quae non tantum maxillas in medio transversim impressas, verum etiam mamillas inferiores spatio distincto, et majore quam quo distant mamillae superiores inter se, separatas habent: genera Drassoidarum Thor. (olim) quae mamillas inferiores basi inter se contingentes habent, fam. *Clubionidarum* nunc subjicio, etiam si eorum maxillae in medio impressae sunt, ut e. gr. in gen. *Thamphilo* et *Otacilio*.

plus duplo majoribus separati sunt. Area oculorum mediorum paene dimidio longior est quam latior, vix latior antice quam postice; spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, diametro oculi medii antici circa dimidio majora sunt. Oculi bini laterales spatio anterioris diametrum eorum paullo superante sunt sejuncti, hoc spatio spatiis illis non dimidio minus. *Sternum* paullo longius quam latius, breviter inverse ovatum.

Mandibulae paullo plus duplo longiores quam latiores, femoribus anticis parum angustiores, basi satis convexae, sulco unguiculari in margine antico 3 dentibus, quorum medius major est, in margine postico 2 dentibus mediocribus armato. *Maxillae* in labium parum inclinatae, inter insertionem palpi et apicem sat fortiter sinuatae; *labium* dimidio longius quam latius, ad $^2/_3$ longitudinis maxillarum pertinens. *Palpi* maxillis non parum pone medium (i. e. magis versus basin quam apicem earum) affixi sunt; pars tibialis paene duplo longior est quam latior. *Pedes* mediocres, minus dense pilosi. Pedes anteriores modo in femoribus, quae supra 1. 1., antice 1. vel (2.[i] paris) 1. 1. aculeos habent, aculeati. Patellae posteriores utrinque aculeo praeditae sunt. Tibiae posteriores supra aculeis 1. 1., praeter aculeis subter et in lateribus, armatae sunt; femora posteriora supra 1. 1., antice 1, postice 1. 1. aculeos ostendunt. *Abdomen* sub-ovatum, antice rotundato-truncatum. *Vulva* ex area (fovea levi) sat parva, non longiore quam latiore est formata, quae saltem antice costa tenui paullo recurva est limitata: paullo pone hanc costam maculas duas parvas fuscas video, et magis postice alias maculas duas fuscas non parum majores: hae quattuor maculae (foveolae?) trapezium antice angustius quam postice et circa aeque longum ac latum postice formant.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum* et *partes oris* rufescenti-fusca sunt, *palpi* et *pedes* sordide testaceo-fusci; *abdomen* cinereum et pube pallidius cinerascenti vestitum fuisse videtur.

Lg. corp. 9 $^1/_4$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3, lat. clyp. paullo plus 1 $^3/_4$; lg. abd. 5 $^1/_3$, lat. ej. 3 $^1/_3$ millim. Ped. I 10 $^1/_2$, II 9 $^1/_4$, III 8, IV 11 $^1/_2$; pat. + tib. et metat. + tars. IV 4 millim.

Hujus araneae, quae gen. *Drassodis*, Westr. certe est, quum tibias posticas supra aculeis binis armatas et partem palporum tibialem paene duplo longiorem quam latiorem habeat, feminas tres ad Yadò in montibus Carin Ghecù collegit Fea.

Gen. **Talanites**, Sim., 1893.

** 31. **T. cavernicola**, n., *cephalothorace in fundo fusco-testaceo, extremitatibus pallidioribus, abdomine cinerascenti; area oculorum mediorum aeque lata ac longa, oculis mediis anticis paene aequali magnitudine et spatiis sat parvis sub-aequalibus separatis, oculis mediis posticis paullo longius inter se (spatio oculi diametro dimidio majore) quam a lateralibus posticis remotis, oculis lateralibus binis paene contingentibus inter se; sulco mandibularum unguiculari in margine antico* 3 *dentibus, et in margine postico quoque* 3 *dentibus (minoribus) armato; tibiis* 1.[i] *paris aculeis* 1. 2., *metatarsis ejusdem paris* 2. 1. *aculeis subter armatis, tibiae* 4.[i] *paris aculeo etiam supra; area vulvae fovea magna profunda sub-transversa occupata, cujus fundus utrinque posterius maculam parvam nigram ostendit.* — ♀ ad. *Long. saltem* 8 *millim.*

Femina. — Ad formam *Drassodi lapidicolae* (Walck.) sat similis est haec aranea, sed minor et gracilior; clypeus dimidiam partem thoracicam latitudine non parum superat. Series oculorum antica leviter deorsum curvata est, series postica, ea paullo longior, parum procurva. Oculi medii antici mediis posticis non parum majores sunt, sed lateralibus anticis vix majores: diameter eorum diametrum longiorem lateralium saltem non superat. Spatia inter oculos anticos paene aequalia dimidiam oculi medii diametrum vix aequant. Spatium inter medios posticos eorum diametro dimidio majus est; a lateralibus posticis spatiis paullo minoribus sunt separati. Area oculorum mediorum aeque longa ac lata postice, latior postice quam antice. Spatio inter oculos medios anticos et posticos illorum diametrum circiter aequant; oculi bini laterales oblongi et obliqui, quorum anterior posteriore paullulo major est, inter se paene sunt contingentes. *Sternum* ovatum, postice breviter acuminatum.

Mandibulae, paullo plus duplo longiores quam latiores, femur anticum latitudine saltem aequant; nitidissimae sunt, pilis sat longis sparsae. Sulcus unguicularis in margine antico 3 dentes (medium reliquis majorem) habet, in margine postico 3 dentes parvos. *Maxillae* paene rectae et parallelae, vix duplo longiores quam latiores, impressione transversa sat debili, in latere interiore ante insertionem palpi vix sinuatae. *Labium* modo ad medium maxillarum pertinet, non multo longius quam latius. Pars tibialis *palporum* plus duplo longior quam latior est, parte patellari duplo longiore quam latiore paullo longior. *Pedes* sat longi et graciles, minus dense scopulati. Femora saltem posteriora supra 1. 1. 1. aculeos habuisse videntur, 1.^{i} paris praeterea saltem 1 antice, reliqua femora 1. 1. antice et 1. 1. vel (in pedibus 4.^{i} paris) 1. postice. Patellae saltem posteriores aculeum postice habuisse videntur. Tibiae 1.^{i} paris subter aculeos 1 (basi) et 2 (in medio), metatarsi hujus paris subter 2 (basi) et 1 (in medio) ostendunt; tibiae 2.^{i} paris 1. 1. subter, metatarsi ejusdem paris 2. 2. 1. subter; in pedibus 3.^{ii} paris tibiae supra 1., antice et postice 1. 1., subter 1. 2. 1. aculeos habent; tibiae 4.^{i} paris supra 1. (prope basin), 1. 1. antice et postice, et 1. 2. 1. (vel 1. 1. 1. 1.) subter. Posteriores metatarsi aculeis compluribus subter et utrinque munitae sunt. *Abdomen* in nostro exemplo corrugatum et deforme est. Area *vulvae* sat magna inaequaliter rotundata pallide ferruginea ad maximam partem (posterius) fovea magna profunda paullo transversa, rotundato-quadrata fere, occupatur: in fundo hujus fovea utrinque posterius maculam parvam nigram video.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus; *palpi* (apice obscuriores) et *pedes* et *mamillae* sordide testacei sunt; *mandibulae* rufo-fuscae, *sternum*, *maxillae* et *labium* iis paullo clariora. *Abdomen* in fundo sub-cinereum fuisse videtur.

Lg. corp. saltem 8 millim; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3, lat. clyp. paene 2. Ped. I 11 $^{1}/_{3}$, II 10 $^{1}/_{2}$, III 10, IV 11 $^{1}/_{2}$, pat. + tib. et metat. + tars. IV 4 $^{1}/_{2}$ millim.

Feminam singulam detritam et valde mutilatam vidi, in speluncis " Farm Caves " dictis prope Moulmein inventam.

Gen. **Echemus**, Sim., 1875.

32. **E. chaetognathus** (Thor.), Primo Saggio, *cet.*, p. 32 (1887) [*Drassus chaetognathus*].

Femina singula, 7 millim. longa, ad Bhamò capta. — Etsi oculos medios anticos lateralibus anticis paullo minores (non majores) habeat, gen. *Echemi* haud dubie est haec species.

33. **E. Chialanus, n., *cephalothorace cum pedibus rufo-fusco, cinereo-pubescenti et pilis nigris sparso, mandibulis piceis, pilis ordinariis sat dense conspersis; abdomine superius obscure cinereo, pube pallide cinerascenti vestito; oculis mediis anticis spatio dimidia eorum diametro multo minore separatis, cum lateralibus anticis contingentibus; patellis, tibiis et metatarsis pedum anteriorum inermibus, patellis posterioribus aculeo saltem postice instructis, tibiis posticis, praeter aculeis subter et in lateribus, aculeis* 1. 1. (*vel* 1.) *supra munitis; vulva ex foveis duabus, tuberculum rufo-fuscum includentibus et costa longitudinali duplici separatis constante.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 $^1/_4$ *millim.*

Femina. — Priori, *E. chaetognatho,* sat similis est, et parum nisi his rebus ab eo diferre videtur: *Cephalothorax* tibia cum patella 4.ⁱ paris paullulo longior est visus, clypeo paene dimidiam partem thoracicam latitudine aequante. *Oculi* fere ut in priore: medii antici lateralibus anticis vix majores, potius paullulo minores, videntur, cum iis contingentes et paene contingentes inter se; sed series oculorum antica levius deorsum curvata est, ita ut linea recta medios subter tangens laterales paullo sub centro secet. Area oculorum mediorum parum longior quam latior est, paullulo latior postice quam antice; spatia quibus medii antici a mediis posticis distant horum diametrum circiter aequant. Oculi medii postici, qui angulati sed vix oblongi sunt et lateralibus posticis paullulo majores, spatio dimidiam eorum diametrum vix aequante sunt separati, non vel parum longius ab iis quam inter se remoti.

Mandibulae paene duplo longiores quam latiores, femora antica crassitie aequantes, ad basin convexae, pilis ordinariis (*non* setis

fortibus acuminatis !) sat dense conspersae. *Palporum* pars patellaris dimidio longior quam latior est, pars tibialis ea angustior sed non longior, paene duplo longior quam latior; pars tarsalis duabus prioribus conjunctim paullo brevior. *Pedes* anteriores eodem modo atque in *E. chaetognatho* aculeati videntur. In pedibus posterioribus femora praeter 1. 1. aculeos supra, 1 aculeum utrinque versus apicem habent, et tibiae 1. 1. supra, praeter aculeos subter et in lateribus: etiam metatarsi horum pedum vel saltem 4.i paris supra saltem 1 aculeum ostendunt. Patellae posteriores aculeo saltem postice munitae sunt. *Abdomen* paene duplo longius quam latius. *Vulva* ea area parva ferruginea constat, quae postice foveas duas sat magnas rotundas pallidiores ostendit, tuberculum (?) parvum rotundatum nitidum rufo-ferrugineum continentes, quae foveae costa longitudinali lata, sulco medio in duas diviso, separatae sunt.

Color. — *Cephalothorax* rufescenti-fuscus, pallido-pubescens; *sternum* ejusdem coloris. *Partes oris* piceae, mandibulae pilis nigris sparsae. *Palpi* et *pedes* rufescenti- (postici magis testaceo-) fusci, cinerascenti-pubescentes, nigro-pilosi et -aculeati. *Abdomen* obscure cinereum, subter paullo clarius; pube tenui pallide cinerea vestitum fuisse videtur, in margine dorsi antico nigro-pilosum.

Lg. corp. 6 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$; lat. clyp. paene 1; lg. abd. paene 4, lat. ej. 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 5 $^3/_4$, II 5 $^1/_3$, III 5, IV 6; pat. + tib. IV 2 $^1/_3$ millim.

Singula femina, ad Chialà in montibus Carin Asciuii Ghecù inventa.

Gen. **Drassus** (Walck.), 1805 (1)

34. **D. Ghecuanus, n., *cephalothorace rufo-fusco et abdomine sub-fusco (scuto dorsuali ferrugineo-rufo nudo antice munito) pube sericea cinerascenti vestitis, clypeo $^1/_3$ partis thoracicae latitudine circiter aequante; margine antico sulci unguicularis mandibularum serie dentium parvorum 3 munito; palporum parte tibiali parte patellari breviore, apice lateris exterioris in spinam rectam pro-*

(1) *Drassus* (Walck.) nob. *ad max. partem* = *Scotophaeus*, Sim.

currente; bulbo subter magis versus apicem dente brevi obtusissimo instructo. — ♂ ad. *Long. circa* 7 $^3/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* forma est in maribus hujus generis ordinaria, humilis, dorso ipso paene recto, parte cephalica anteriora versus fortiter angustata, clypeo circa $^1/_3$ partis thoracicae latitudine aequante, pube densa appressa sericea vestitus; sulcus ordinarius centralis diametrum tibiae anticae longitudine aequat. *Oculi* ad magnitudinem parum inter se differre videntur: medii antici lateralibus anticis paullo majores sunt; medii postici quoque lateralibus posticis paullo majores sunt visi. Series oculorum postica paullulo longior est quam antica, quae a fronte visa fortiter (?) deorsum curvata est; series postica desuper visa minus fortiter est procurva. Area oculorum mediorum non parum longior est quam latior, parum latior antice quam postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum saltem aequat: a lateralibus anticis spatiis minoribus quam quo inter se distant remoti sunt. Medii postici spatio diametro sua paullo minore sunt sejuncti, a lateralibus posticis spatiis circa aeque magnis remoti. Oculi laterales bini spatio eorum diametrum aequante separati sunt, medii antici a mediis posticis spatiis diametro oculi plus dimidio majoribus remoti.

Mandibulae tibiis anticis paullo angustiores basi sunt, apicem oblique truncatum versus sensim paullo angustatae, plus duplo longiores quam latiores; margo anticus sulci unguicularis dentibus 3 minutis paene aequalibus armatus est, margo posticus vix distinctus, muticus vel granulo minuto singulo praeditus. *Maxillae* parum in labium inclinatae, paene parallelae, ante insertionem palpi evidenter sinuatae; *labium* dimidia maxilla paullo longius, fere $^1/_3$ longius quam latius. *Palpi* mediocres, clava sat parva, latitudine tibiae anticae. Pars patellaris vix dimidio longior quam latior est; pars tibialis, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, ea paullo brevior, vix longior quam latior apice: apex lateris exterioris ejus, supra, in spinam rectam sat fortem sensim angustato-acuminatam, anteriora versus et paullo foras directam excurrit, cujus longitudo latitudinem apicalem partis tibialis aequat. Pars tarsalis anguste ovata est, paullo plus duplo

longior quam latior, partibus duabus prioribus conjunctis paullo longior, parte tibiali circa dimidio latior. Bulbus a latere visus subter posterius fortiter convexus est, laevis, modo versus apicem dente brevi obtusissimo praeditus. *Pedes* sat breves; in nostro exemplo aculei eorum ad maximam partem defracti sunt. In pedibus anterioribus femora superius saltem tres aculeos habuisse videntur, tibiae subter 1. 1. 1., metatarsi 1 (basi). Patellae omnes aculeis carent. Pedes posteriores praesertim in tibiis et metatarsis crebrius aculeati sunt. Scopulae in pedibus anterioribus ad basin metatarsorum pertinent; etiam tarsi posteriores vel saltem 3.ii paris scopulati sunt. *Abdomen* angustius ovatum, pube densa appressa sericea vestitum, scuto duriore magno nitidissimo nudo antice in dorso, a margine ejus antico longe retro, sed non usque ad medium ejus, pertinente praeditum. *Mamillae* inferiores superioribus non parum longiores et paene duplo crassiores, et non parum longius quam eae inter se remotae.

Color. — *Cephalothorax* rufo-fuscus, pube cinerea vestitus; *sternum, partes oris, palpi* et *pedes* ejusdem coloris et plus minus eodem modo pubescentia, nigro- et cinerascenti-pilosa; scopulae olivaceo-nigrae. *Abdomen* sub-fuscum, pube cinerascenti vestitum, scuto dorsuali ferrugineo-nigro.

Lg. corp. 7 $^3/_4$; lg. cephaloth. 3 $^1/_2$, lat. ej. paullo plus 2 $^3/_4$, lat. clyp. 1; lg. abd. 4, lat. ej. 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 7 $^3/_4$, II 7, III circa 7, IV 10; pat. + tib. IV 3 $^1/_2$ millim.

Marem singulum valde mutilatum vidi, in montibus Carin Ghecù captum.

* * 35. **D. orinus**, n., *cephalothorace rufo-fusco, dense cinerascenti-pubescenti, pedibus eo paullo clarioribus, pube ejusmodi et pilis nigricantibus dense vestitis, scopulis pedum anteriorum densis et nigris; abdomine cinereo-nigro et pube cinerascenti tecto* (?), *mamillis testaceis; oculis mediis anticis, qui oculis posticis paene duplo (et lateralibus anticis non parum) majores sunt, intervallo eorum diametro non multo minore separatis, a lateralibus anticis spatiis hoc intervallo circa duplo minoribus remotis, oculis mediis posticis spatio diametro sua paullo majore sejunctis, a lateralibus posticis*

etiam paullo magis remotis; tibiis anterioribus aculeis 1. 1. *subter, metatarsis* 1.^{i} *paris* 1. *aculeo subter,* 2.^{i} *paris* 2. *aculeis ibi armatis, tibiis* 3.^{ii} *sed non* 4.^{i} *paris aculeo etiam supra praeditis; vulva ex fovea magna levi, fere inverse triangulo-ovata constante, quae antice septum breve ostendit, et postice elevationibus duabus nigricantibus occupatur.* — ♀ ad. *Long. circa* 12 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma plane ordinaria est, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine vix aequante; dense appresso-pubescens et pilis sparsus fuisse videtur. Series *oculorum* antica a fronte visa leviter deorsum est curvata, series postica desuper visa leviter procurva. Oculi medii antici posticis multo, fere duplo, majores sunt et lateralibus anticis saltem dimidio majores, spatio diametro sua paullo minore separati, a lateralibus anticis spatiis saltem duplo minoribus remoti. Medii postici, paullo angulati, spatio diametro sua paullulo majore sunt sejuncti, a lateralibus posticis, quibus paullulo minores sunt, spatiis etiam paullulo minoribus separati. Spatium inter binos laterales oblongos diametrum longiorem anterioris eorum saltem aequat, spatiis inter medios anticos et posticos (quae oculi medii antici diametro paene dimidio majora sunt) saltem dimidio minus. Area mediorum oculorum non parum longior est quam latior, paullulo latior antice quam postice. *Sternum* non parum longius quam latius.

Mandibulae circa duplo et dimidio longiores quam latiores basi, ubi femora antica desuper visa latitudine aequant. Sulcus unguicularis in margine antico 3 dentes parvos fere aeque magnos habet, in margine postico (vix distincto) granulum singulum minutum, vel nullum. *Maxillae* et *labium* forma ordinaria. *Palpi* crebrius aculeati: in parte tibiali, e. gr. — quae fere dimidio longior est quam latior — 2. 2. aculeos supra et 1. 1. intus video. *Pedes* dense pilosi et pubescentes, scopulis pedum anteriorum densissimis. In pedibus 1.^{i} paris femora 1. 1. aculeos supra, et 1. 1. antice, versus apicem, habent, tibiae vero subter 1. basi et 1. in medio, metatarsi 1. basi; in pedibus 2.^{i} paris femora 1. 1. aculeos supra ostendunt, tibiae subter 1. in medio et 1. apice, metatarsi 2. basi. In pedibus 3.^{ii} paris femora 1. 1. aculeis supra, antice et postice praedita sunt, tibiae 1. aculeo supra,

praeter alios; metatarsi undique sunt aculeati (ut in pedibus 4.[i] paris, quorum tibiae aculeo supra carent, et quorum femora supra et antice aculeos 1. 1., postice 1. aculeum ostendunt). Area *vulvae* ferruginea sat magna est, paullo longior quam latior, posteriora versus sensim paullo dilatata, antice et postice truncata, angulis rotundatis; haec area ad magnam partem fovea magna non profunda occupatur, quae inverse triangulo-ovata est, in parte anteriore angustiore ut videtur septo longitudinali brevi praedito, postice vero elevationibus duabus magnis laevibus nigricantibus, impressione triangula separatis occupata.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum* et *mandibulae* rufescenti-fusca; *palpi* et *pedes* paullo clariores, testaceo-fusci, ut cephalothorax pube densa pallide cinerea et pilis nigris vestiti. *Abdomen* cinereo-nigricans et dense cinerascenti-pubescens fuisse videtur; *mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp. 12; lg. cephaloth. paullo plus 5, lat. ej. $3\,^1/_2$, lat. clyp. paene $1\,^3/_4$; lg. abd. circa $6\,^1/_2$, lat. ej. circa 4 millim. Ped. I $9\,^1/_2$, II fere $9\,^1/_2$, III paene $9\,^1/_2$, IV $11\,^3/_4$; pat. + tib. IV et metat. + tars. IV 4 millim.

Feminam singulam mutilatam, cujus abdomen corrugatum est, ad Plapoo in monte Mooleyit (Tenasserim) captam examinavi. — Num femina praecedentis, *D. Ghecuani*, est?

** 36. **D. Chebanus**, n., *cephalothorace rufo-fusco et abdomine nigricanti dense cinereo-pubescentibus, pedibus saltem posterioribus cephalothorace paullo clarioribus, oculis anticis spatiis sat parvis sub-aequalibus sejunctis, mediis eorum reliquis oculis fere duplo majoribus, lateralibus binis spatio diametrum suam circiter aequante et spatiis inter medios anticos et posticos duplo minore separatis; margine antico sulci unguicularis mandibularum serie dentium 4-5 parvorum munito; tibiis* 2.[i] *paris subter versus apicem aculeo instructis, praeterea, ut pedibus* 1.[i] *paris, modo in femoribus aculeatis; vulva ex area depressa inverse ovata postice truncata constante, quae postice tubercula duo rotundata, spatio sat parvo nigricanti separata, ostendit.* — ♀ ad. *Long. circa* 10 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* et *sternum* ut in affinibus, e. gr.

D. Rangunensi, Thor. ([1]), conformata sunt, ille dense appresso-pubescens et pilis sub-erectis sat dense sparsus; clypeus dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequat. Series *oculorum* antica sat leviter deorsum est curvata: linea recta medios subter tangens laterales sub centro secat. Series postica leviter est procurva et paullo fortius deorsum curvata. Oculi medii antici lateralibus anticis oblongis non parum majores sunt, et mediis posticis circa duplo majores; medii postici, sub-angulati sed vix oblongi dicendi, lateralibus oculis paullo minores. Area oculorum mediorum paullo longior est quam latior, rectangula, vix vel parum latior antice quam postice. Oculi seriei anticae spatiis fere aequalibus, dimidiam oculi medii diametrum non aequantibus, separati sunt; oculi medii postici spatio sunt sejuncti quod eorum diametrum aequat, a lateralibus posticis etiam et non parum (vix dimidio tamen) longius remoti. Spatia inter medios anticos et medios posticos oculi medii antici diametro paullo majora sunt; spatium, quo bini laterales sunt separati, his spatiis circa duplo minus est, diametrum longiorem anterioris horum oculorum non superans. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos eorum diametrum longiorem fere aequat.

Mandibulae ut in *D. Rangunensi* ad formam; sulcus unguicularis antice, intus, serie dentium parvorum 4-5 est munitus, quorum unus alterve tamen granulum potius dici debet; postice muticus est sulcus unguicularis vel modo granulo singulo munitus. *Maxillae* parum in labium inclinatae, ante insertionem palpi (i. e. inter insertionem ejus et apicem maxillae) evidenter et sat late sinuatae. *Labium* plus dimidio longius quam latius, paene ad $^2/_3$ longitudinis maxillae et ad angulum ejus interiorem pertinens. *Palpi* fere in medio lateris exterioris maxillae ei affixi; pars tibialis vix dimidio longior quam latior est. *Pedes* breves, sat dense pilosi et pube densa sericea vestiti, scopulis pedum anteriorum usque ad basin metatarsorum pertinentibus; tarsi 3.ii paris scopulam angustam utrinque, subter, ostendunt, pedes 4.i paris scopula carent. In pedibus anterioribus femora

([1]) Descr. Catal., cet., p. 32.

1\. 1. aculeos supra et 1. antice habent, et tibiae 2.[i] paris subter magis versus apicem 1. aculeum et, ut videtur, 1. in summo apice: praeterea pedes anteriores aculeis carent. In pedibus posterioribus femora supra 1. 1. 1., antice 1. 1., postice 1 (vel, in 4.[i] paris, 1. 1.) aculeos ostendunt, et patellae postice 1 aculeum; tibiae posteriores aculeis supra carent, praeterea, ut metatarsi posteriores, aculeis compluribus armatae. *Abdomen* forma ordinaria, dense sericeo-pubescens. *Vulva* ex area sat parva (depressa) obovato-triangula, pallide ferruginea constat, quae e tribus partibus in triangulum dispositis occupata videtur, parte antica parum elevata, inaequali, partibus duabus posterioribus tubercula duo oblonga rotundata convexa aequalia, spatio nigricanti eorum diametro minore separata, formantibus.

Color. — *Cephalothorax, palpi* et *pedes* rufo-fusci, cinerascenti-pubescentes et nigro-pilosi. *Sternum* rufo-fuscum, nigro-pilosum. *Pedes* praesertim posteriores clarius rufo-fusci, cinereo-pubescentes et nigro-pilosi. *Abdomen* superius nigricans, pube densa cinerascenti vestitum, subter clarius.

Lg. corp. 10; lg. cephaloth. 4 $^1/_2$, lat. ej. 3, lat. clyp. fere 1 $^1/_2$; lg. abd. 5 $^1/_3$, lat. ej. 3 $^1/_2$. Ped. I 8 $^2/_3$, II 8 $^1/_2$, III 8 $^1/_5$, IV 10 $^1/_2$; pat. + tib. IV paene 4, metat. + tars. IV 3 $^3/_4$ millim.

Femina singula, ex montibus Carin Chebà sive Bia-pò.

** 37. **D. Plapoensis**, n., *cephalothorace rufo-fusco cum abdomine nigricanti dense cinereo-pubescenti, pedibus magis testaceo-fuscis, pedum anteriorum tibiis, metatarsis et tarsis rufescenti-piceis, his pedibus modo in femoribus aculeatis; oculis mediis anticis, qui reliquis majores sunt, spatio dimidia oculi diametro majore separatis, a lateralibus anticis spatiis duplo minoribus; area oculorum mediorum paullo latiore antice quam postice; sulco unguiculari mandibularum antice dentibus* 3, *postice* 1 *dente instructo; vulva ex fovea parva sub-ovata postice aperta constante, quae margine tenui limitatur.* — ♀ ad. *Long. circa* 7 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* et *sternum* ad formam ut in specie priore et in *D. Rangunensi,* cet. Series *oculorum* antica leviter deorsum est curvata, series postica leviter procurva. Area ocu-

lorum mediorum paullo longior quam latior, evidenter paullo latior antice quam postice. Oculi medii antici lateralibus anticis paullo majores sunt, mediis posticis duplo majores; oculi laterales, quorum antici posticis paullo majores sunt, mediis posticis non parum sunt majores. Oculi medii antici, spatio dimidia diametro sua paullo minore sejuncti, a lateralibus anticis spatio etiam duplo minore separati sunt; oculi medii postici, spatio diametro sua evidenter paullo majore disjuncti, a lateralibus posticis spatiis dimidio majoribus quam quo inter se distant sunt remoti. Spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, diametro oculi medii antici paene duplo majora sunt; bini laterales spatio paene duplo minore (diametrum oculi lateralis antici fere aequante) sunt separati. Altitudo clypei diametrum oculi lateralis antici, sed non medii antici, aequat.

Mandibulae ut in priore et in *D. Rangunensi*, cet., formatae sunt, pilis sat longis porrectis sparsae; sed sulcus unguicularis antice dentibus 3, postice 1 dente armatus est. *Maxillae* et *labium* quoque ut in priore. *Palporum* pars tibialis circa dimidio longior est quam latior. In *pedibus* 1.ⁱ paris femora aculeos 1. 1. supra, et 1. aculeum antice, versus apicem, habent, 2.ⁱ paris femora 1. 1. supra, 1. 1. antice: praeterea pedes anteriores aculeis carent. In femoribus posterioribus 1. 1. aculeos supra video, 1. antice et 1. 1. postice; patellae posteriores aculeum postice habent. Tibiae et metatarsi posteriores modo subter et in lateribus, non supra, aculeati sunt. *Abdomen* forma est ordinaria. Area *vulvae* parva subferruginea posterius fovea longiore parum profunda, ovato-elliptica fere, postice aperta occupatur, quae margine tenui limitata est: utrinque apud eum, postice, maculam rotundatam fuscam video. In fundo haec fovea anterius maculas duas minutas obscuriores (tubercula?) ostendit, e quibus lineolae (costae?) duae parallelae obscurae retro ductae sunt.

Color. — *Cephalothorax* rufo-fuscus est, sat dense cinereo-pubescens. *Sternum* et *mandibulae* rufo-fusca, illud nigricanti-limbatum. *Maxillae* et *labium* rufescenti-picea. *Pedes* et palpi testaceo-fusci, nigro-pilosi; pedum anteriorum tibiae et internodia insequentia, ut palporum pars tibialis, magis rufo-picea sunt,

palporum pars tarsalis nigricans. *Abdomen* nigricans, pube densa cinerascenti vestitum.

Lg. corp. 7 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3 $^3/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. clyp. 1 $^3/_4$; lg. abd. 4 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^2/_3$ millim. Ped. I et II?, ped. III paullo plus 6, ped. IV 9 millim; pat. + tib. IV et metat. + tars. IV paullo plus 3 $^1/_2$ millim.

Feminam singulam male conservatam ad Plapoo (Tenasserim) captam examinavi.

** 38. **D. aphanes**, n., *cephalothorace, sterno, partibus oris et extremitatibus in fundo testaceo-fuscis, abdomine superius cinerascenti-nigro, cum cephalothorace pube cinerascenti vestito; oculis mediis anticis spatio dimidia eorum diametro minore separatis, cum lateralibus anticis, qui paullo majores sunt, contingentibus; sulco mandibularum unguiculari in margine antico* 3 *dentibus parvis* (*medio majore*) *armato, in margine postico* 2 *dentibus; pedibus anterioribus, praeter in femoribus, aculeis* 2 *in metatarsis, basi subter, praeditis; tibiis posterioribus etiam supra aculeo armatis; vulva ex area parva sub-quadrata ferruginea constante, quae sulcis duobus longitudinalibus tri-partita est.* — ♀ ad. *Long. circa* 4 $^3/_4$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma ordinaria, anteriora versus sat fortiter angustatus, clypeo parum plus $^1/_3$ partis thoracicae latitudine aequante. Series oculorum antica leviter deorsum curvata, series postica leviter procurva. Area oculorum mediorum, paullo longior quam latior, aeque lata antice et postice videtur. Oculi medii antici, laterales posticos magnitudine aequant, reliquis oculis paullo minores; inter se spatio distant quod dimidia eorum diametro minus est, cum lateralibus anticis, qui paullo sunt majores, contingentes. Oculi medii postici obliqui postice spatio sunt separati, quod dimidiam eorum diametrum breviorem vix aequat; a lateralibus posticis (paullo minoribus) spatiis circa aeque magnis atque inter se remoti sunt. Spatium inter oculos binos laterales dimidiam diametrum posterioris eorum saltem aequat, et duplo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis distant; quae spatia oculi medii antici diametrum aequant.

Altitudo clypei oculi medii antici diametrum vix aequat. *Sternum* latum, breviter ovatum, postice brevissime acuminatum.

Mandibulae duplo longiores quam latiores, basi ad longitudinem paullo convexae et tibias anticas latitudine saltem aequantes; sulcus unguicularis in margine antico 3 dentes parvos, quorum medius reliquis duobus major est, ostendit, in margine postico vero 2 dentes sat magnos. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, in labium paullo inclinatae, in latere exteriore inter insertionem palpi et apicem leviter sinuatae. *Labium* dimidio longius quam latius, vix ad $^2/_3$ maxillarum pertinens. *Palporum* pars tibialis dimidio longior quam latior apice. *Pedes*, quorum anteriores scopulis raris sunt praediti, hoc modo sunt aculeati: in pedibus anterioribus femora supra et antice 1. 1. aculeos habent, et metatarsi subter (basi) 2.; praeterea aculeis carent pedes anteriores. Femora posteriora supra et antice 1. 1., postice 1. 1. vel (4.[i] paris) 1. aculeos habent, patellae posteriores aculeum postice; tibiae posteriores aculeum supra ostendunt, praeter aculeos quos, ut metatarsi, subter et in lateribus habent. *Abdomen* inverse ovatum, antice sub-truncatum. *Vulva* ex area parva sub-quadrata nitida ferruginea constat, quae sulcis duobus longitudinalibus in tres costas est divisa, exteriores duas paene parallelas vel posteriora versus paullo divaricantes, mediam posteriora versus sensim angustatam, anguste triangulam fere.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum*, *partes oris* et *extremitates* testaceo-fusca, cephalothorax pube tenui pallide cinerascenti vestitus; pedes et palpi nigricanti-pilosi et nigro-aculeati sunt, subter cum sterno magis pallide fusco-pilosi. *Abdomen* cinerascenti-nigrum est, subter pallidius; pube densa sericea cinerascenti est vestitum.

Lg. corp. 4 $^3/_4$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. paullo plus 1 $^1/_2$, lat. clyp. paene $^2/_3$; lg. abd. 3, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 5, II paene 4, III 3 $^1/_2$, IV 5 $^1/_2$; pat. + tib. IV 2, metat. + tars. IV paene 2 millim.

Singula femina, ex Palòn. — Intermedia inter *Drassodem* et *Drassum* videtur parva haec species, praesertim numero dentium marginis posterioris sulci unguicularis mandibularum cum *Drassode* (Westr.) Sim. conveniens; sed in *Drasso* (Walck.) nob. (et in

Scotophaeo, Sim.?) hi dentes 0-3 esse possunt: conf. species priores et insequentem, *D. manducatorem*, Thor.

** 39. **D. manducator**, n., *cephalothorace, sterno, partibus oris et extremitatibus in fundo rufo-fuscis, abdomine superius obscure cinereo; oculis mediis anticis posticis oculis paullo majoribus, a lateralibus anticis, qui paullo minores sunt, spatiis multo minoribus, quam quo inter se distant, remotis; oculis mediis posticis spatio dimidia eorum diametro paullo majore inter se, a lateralibus posticis vero spatiis fere duplo majoribus separatis; sulco unguiculari mandibularum in margine antico* 3 (— 5), *in margine postico* 3 *dentibus instructo; pedibus anterioribus, praeter in femoribus, etiam subter in metatarsis* 1. 1. *aculeis armatis, tibiis* 4.[i] *paris etiam supra aculeo munitis; vulva ex area sat magna ferruginea constante, quae sulco medio longitudinali antice et postice dilatato persecta est, in medio utrinque impressa, apice postico in duo tubercula nigricantia elevato.* — ♀ ad. *Long. circa* 9 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma solita est; clypeus dimidiam partem thoracicam latitudine aequat, altitudine diametrum oculi medii antici aequans. Series oculorum postica modice procurva est, series antica sat leviter deorsum curvata. Oculi medii antici posticis oculis paullo majores sunt, inter se spatio eorum diametro minore separati, a lateralibus anticis, quibus paullo majores sunt, modo spatio minuto sejuncti. Oculi medii postici, oblongi et obliqui, postice spatio separati sunt, quod dimidia eorum diametro minore paullo est majus; a lateralibus posticis, quibus paullo minores videntur, spatiis fere duplo majoribus sunt remoti. Spatium inter binos laterales eorum diametrum vix aequat, et saltem duplo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis sunt separati, his spatiis oculi medii antici diametro plus dimidio, paene duplo majoribus. *Sternum* paullo longius quam latius, paene ovatum, postice lateribus paene rectis sensim angustato-acuminatum.

Mandibularum sulcus unguicularis in margine antico dentibus 3 (vel potius 5, quorum tamen duo potius granula dicendi sunt), in margine postico vero 3 dentibus mediocribus est armatus.

Maxillae sat breves et sat fortiter incurvae, inter insertionem palpi et apicem modo levissime sinuatae. *Labium* ad $^2/_3$ longitudinis maxillarum pertinet, paene dimidio longius quam latius. *Palpi* fere in medio maxillae affixi sunt; pars tibialis paullo plus dimidio longior est quam latior, parte patellari paullo longior. *Pedes* breviores; in tarsis anterioribus remanent vestigia scopularum. In pedibus anterioribus non tantum femora aculeata fuerunt (1. 1. aculeis supra et 1 antice), sed subter in metatarsis 1. 1. aculeos ostendunt hi pedes. In pedibus $2.^i$ paris femora supra, antice et postice 1. 1. aculeos habuerunt, $4.^i$ paris femora saltem 1. 1. supra et 1 utrinque. Patellae posteriores postice aculeum ostendunt. Tibiae posteriores vel saltem $4.^i$ paris, praeter aliis aculeis, aculeo versus basin supra praeditae sunt. Metatarsi posteriores undique aculeati. *Abdomen* et *mamillae* sunt ut in plerisque formis gen. *Drassi* sive *Scotophaei.* Area *vulvae* sat magna est, vix longior quam latior, coxas $4.^i$ paris latitudine circiter aequans, paullo elevata, duriuscula et nitida; antice late sub-truncata est, lateribus antice parallelis, postice rotundatis versus apicem brevem angustata; ferruginea et apice nigricans est haec area, sulco longitudinali antice in triangulum angustum dilatato persecta, hoc sulco etiam postice, ubi apex areae vulvae tubercula duo sat magna format, in triangulum dilatato. Utrinque fere in medio impressionem transversam transversim striatam ostendit area vulvae.

Cephalothorax, sternum, partes oris, palpi (apice nigricantes) et *pedes* rufo-fusca sunt, *abdomen* in fundo obscure cinereum, ventre clariore.

Lg. corp. 9; lg. cephaloth. paene 4 $^1/_4$, lat. ej. paene 3, lat. clyp. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. 3 $^1/_2$ millim. Ped. I 9 $^2/_3$, II circa 9 $^1/_2$, III? IV circa 10 $^2/_3$; pat. + tib. IV et metat. $_1$ tars. IV 3 $^1/_2$ millim.

Exemplum femineum singulum, detritum et mutilatum, in montibus Carin Ghecù inventum examinavi. — Margine postico sulci unguicularis mandibularum *tribus* dentibus armato a reliquis mihi cognitis *Drassis* differt haec species, vix tamen eam ob causam ad proprium genus referenda.

Gen. **Aphantaulax**, Sim., 1878.

** 40. **A. uni-vittatus**, n., *cephalothorace nigricanti, pilis appressis albicantibus sat dense vestito; serie oculorum postica desuper visa recta; pedibus nigris, coxis flavis, tarsis testaceis; abdomine nigro, dorso ejus vitta longa transversa alba duplo longius a basi abdominis quam ab apice ejus remota ornato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 5 1/2 *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax,* qui sulco centrali caret, humilis est, fere duplo longior quam latior, clypeo parte thoracica duplo angustiore; anteriora versus sensim aequaliter et fortius quam posteriora versus angustatus est, postice truncatus, fronte angusta leviter rotundata, dorso a latere viso recto. *Oculorum* series duae parallelae, antica a fronte visa parum deorsum curvata: oculi hujus seriei spatiis parvis et paene aequalibus sejuncti videntur. Series postica, quae antica non parum longior est, desuper visa est recta. Area oculorum mediorum longior quam latior, paullulo latior postice quam antice. Oculi medii antici lateralibus anticis oblongis paullo majores sunt; spatium inter hos oculos et marginem clypei oculi medii diametrum non superat. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametro fere dimidio est majus: a lateralibus posticis, quibus paullulo minores videntur, paene aeque longe separati sunt. Spatium, quo oculi bini laterales sunt sejuncti, spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, paene aequat et oculi diametro paullo majus est. *Sternum* plus duplo longius quam latius, ovato-fusiforme, apice brevi obtuso non inter coxas 4.^{i} paris pertinens.

Mandibulae tibias anticas vix latitudine aequant. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, in labium vix inclinatae, in margine exteriore inter insertionem palpi et apicem late et leviter sinuatae, apice intus late et oblique truncatae. *Labium* paene duplo longius quam latius, apice rotundatum. *Pedes* breves, anteriores eorum scopulati; ut videtur parce aculeati sunt: supra in femoribus, e. gr., 1. 1. vel 1. 1. 1. aculeos video, et subter in tibiis 1. 1. *Abdomen* fere duplo longius quam latius,

ellipticum, basi paullo retusum, lateribus in medio paene rectis et parallelis.

Color. — *Cephalothorax* fuligineus (versus margines laterales purius niger); pube sat crassa albicanti vestitus et pilis erectis sub-fuscis sparsus. *Sternum* nigro-fuscum. *Partes oris* nigricantes, mandibulae tamen piceae. *Palpi* et *pedes* nigricantes, coxis (praesertim posticis) flavis, tarsis testaceis. *Abdomen* superius nigrum et opacum est, vitta transversa recta alba usque ad latera pertinente in dorso ornatum, quae duplo longius a basi ejus quam ad apice postico remota est; venter clarior, fuligineus. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. clyp. circa $^3/_4$; lg. abd. 3 $^1/_3$, lat. ej. 1 $^5/_6$ millim. Ped. I 4, II 3 $^1/_2$, III 3 $^1/_4$, IV 6; pat. + tib. IV 1 $^5/_6$, metat. + tars. IV 1 $^2/_3$ millim.

Femina junior in montibus Carin Chebà sive Bia-pò est inventa.

Gen. **Micythus** [1], n.

Cephalothorax inverse ovatus, humilis, toto dorso ante declivitatem posticam recto, fronte angusta, sulco centrali tenui et sat brevi; altitudine clypei diametrum oculorum mediorum anticorum non aequante.

Oculi 8 sat magni, medii antici reliquis majores: totam latitudinem frontis occupant, in series duas inter se apicibus valde appropinquantes dispositi; series postica fortiter procurva est, et vix longior quam antica, quae fortiter deorsum est curvata.

Sternum non parum longius quam latius, sub-ovatum (latitudine maxima tamen paullulo pone medium), antice rotundato-truncatum, postice breviter acuminatum, planum, vix inter coxas 4^i paris, quae spatio dimidiam earum diametrum circiter aequante separatae sunt, pertinens.

Mandibulae directae, forma ordinaria, versus apicem parum angustatae, ungue sat longo.

(1) Nom. propr. pers.

Maxillae paene duplo longiores quam latiores, in labium paullo inclinatae, impressione transversa forti praeditae, labio saltem duplo longiores.

Labium circa aeque longum ac latum, a basi ad apicem truncatum sensim paullo angustatum.

Pedes sat breves, ita: IV, I, II, III (III, II?) longitudine se excipientes, scopulis carentes, minus crebre aculeati, aculeis nec longis neque appressis; unguiculi tarsorum bini mediocres, dorso breviore, dentibus paucioribus sat longis, fortibus et densis pectinati.

Abdomen sub-ovatum, paullo depressum, postice sub-acuminatum.

Mamillae longae, cylindratae, parallelae; superiores spatio diametro sua plus duplo majore separatae, paullo longiores et paullo angustiores quam mamillae inferiores, art. 1.° circa 3.plo longiore quam latiore, art. 2 brevissimo; mamillae inferiores etiam longius inter se separatae; mamillae mediae reliquis multo angustiores et non parum breviores, inter mamillas inferiores positae et cum iis lineam transversam rectam designantes.

Typus: *M. pictus*, n.

Labio non vel parum longiore quam latiore et dimidium maxillarum vix superante hoc genus cum *Tricongio*, Sim., paucisque aliis convenire videtur, praeterea ab iis longe remotum et fere omnibus notis cum *Drassinis* typicis, e. gr. *Drasso* (*Scotophaeo*, Sim.), et *Prosthesima* (*Melanophora*, C. L. Koch) conveniens.

41. **M. pictus, n., *cephalothorace, palpis et pedibus sub-luteis, tibiis basi apiceque et metatarsis apice anguste nigris; abdomine supra testaceo-cinereo, scuto sub-triangulo ferrugineo antice praedito, in medio vero macula longitudinali nigricanti et ibi utrinque, in lateribus, vitta obliqua ejusdem coloris, posterius in dorso vero, utrinque, serie densa macularum transversarum obliquarum nigricantium sensim decrescentium notato.* — ♂ ad. *Long. circa* $4\ ^1/_3$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* in lateribus partis thoracicae fortiter rotundatus est, antice utrinque leviter sinuatus, parte cephalica

parva et brevi anteriora versus sensim angustata, fronte valde angusta paullo rotundata; laevis est et nitidus, excepto quod posterius, versus margines laterales, paullo rugulosus est. *Oculi* medii antici mediis posticis, qui reliquis oblongis paullo majores videntur, saltem duplo majores; spatio parvo sunt separati, sed cum lateralibus anticis contingentes, ut laterales bini inter se; medii postici obliqui spatio dimidiam eorum diametrum vix aequante separati, a lateralibus posticis spatio etiam paullo minore. Area oculorum mediorum non parum longior quam latior, rectangula; spatia inter medios anticos et medios posticos illorum diametrum aequant.

Mandibulae in dorso parum convexae sunt, a fronte visae paene cylindratae et paene duplo longiores quam latiores, tibias anticas crassitie aequantes, pilis sparsae; sulcus unguicularis in margine antico 3 dentes minutos habere est visus; in margine postico non distincto dentem singulum minutum vel granulum ostendit. *Palpi* breves et graciles; pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis ejus magnitudine fere, apice lateris exterioris, supra, in spinam porrectam sat gracilem, sensim acuminatam, paullo incurvam, ipsam partem tibialem longitudine circiter aequantem producto; pars tarsalis prioribus duabus parum latior est, sed iis conjunctis multo longior, anguste ovata; bulbus humilis, laevis, fuscus. *Pedes* pilis gracilibus parcius sparsi sunt, aculeis non multo crebris armati: femora anteriora 1. 1. 1. aculeos supra et 1. 1. antice ostendunt; in 1.[i] paris pedibus tibiae subter 1. vel 1. 1, et metatarsi subter 1. aculeum habuisse videntur. Pedes posteriores aculeos paullo plures habent.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus vel luteus, summo margine nigro; in utroque latere, non longe a margine, vestigia fasciae longitudinalis nigricantis conspiciuntur. *Oculi,* mediis anticis nigris exceptis, vitrei. *Sternum* albicanti-pilosum et partes oris testaceo-lutea. *Palpi* testacei, clava obscuriore. *Pedes* lutei, tibiis basi et apice, ut metatarsi apice, anguste nigricantibus. *Abdomen* supra pallide testaceo-cinereum, scuto magno ferrugineo subtriangulo (apice retro directo) antice; pone (apud) id, in medio dorso, adest macula oblonga sive lineola nigricans, et utrinque, in medio longitudinis fere, fascia obliqua nigricans deorsum per

latera ducta; utrinque in dorso, posterius, ad latera, series striarum vel macularum transversarum obliquarum nigricantium sensim decrescentium et densiorum conspicitur, quae series posteriora versus inter se appropinquant, et utrinque apud mamillas maculas binas parvas nigras in ipso apice laterum sitas ostendit abdomen, etiam praeterea in lateribus paullo nigricanti-maculatum. Venter totus albicanti-cinereus est; *mamillae* flaventes.

Lg. corp. 4 $^1/_3$; lg. cephaloth. paullo plus 1 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^1/_4$, lat. clyp. circa $^1/_2$; lg. abd. 2 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^3/_4$. Ped. I paene 4, II 3 $^1/_2$, III circa 3 $^1/_2$ (?), IV 5 $^1/_3$; pat. + tib. IV paene 1 $^1/_6$, metat. + tars. IV 1 $^1/_2$ millim.

Exemplum singulum detritum et mutilatum, ad Rangoon inventum.

Gen. **Palicanus** (1), n.

Cephalothorax inverse sub-ovatus, sat humilis, impressionibus cephalicis distinctis, sulco centrali sat longo, altitudine clypei diametro oculorum anticorum majore.

Oculi 8 mediocres, medii antici reliquis majores; aream plus dimidium latitudinis frontis occupant, hac area non multo plus duplo latiore quam longiore; in duas series transversas apicibus inter se contingentes dispositi sunt, quarum postica paullo longior est quam antica, fortiter et anteriora versus et deorsum curvata; series antica modice deorsum curvata est. Area oculorum mediorum sub-transversa, paullo latior postice quam antice; oculi bini laterales paene contingentes inter se. Sternum breviter ovatum, vix vel non inter coxas 4.ⁱ paris pertinens.

Mandibulae directae, sub-cylindratae, in dorso inermes.

Maxillae sub-ovatae, in labium paullo inclinatae eoque circa duplo longiores; labium sub-quadratum.

Pedes mediocres, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes, forma in *Drassinis* solita, aculeis sat crebris mediocribus armati, anteriores scopula tenui muniti. Unguiculi tarsorum bini in dorso leviter convexi sunt, dentibus paucioribus acuminatis gradatim

(1) Nom. prop. pers.

longioribus, non multo densis sub-pectinati. Fasciculi unguiculares densi, e pilis longis modo apice paullo incrassatis formati.

Abdomen sub-ovatum.

Mamillae 6, inferiores et praesertim superiores basi spatio evidenti separatae, superiores longissimae, art. 2.° gracillimo, art. 1.^{m} longitudine aequante; mamillae inferiores art. 1.^{m} superiorum longitudine aequant, sed eo crassiores sunt; mamillae mediae inferiores mamillas longitudine aequant sed iis multo sunt angustiores.

Typus: *P. caudatus*, n.

Hoc genus a reliquis *Drassidis* praesertim maxillis minus evidenter transversim impressis et mamillis inferioribus spatio earum diametrum vix aequante separatis differt, transitum ita ad *Clubionidas* formans; impressionibus cephalicis distinctis et mamillis superioribus longissimis cum *Agalenidis* similitudinem ostendit, unguiculis tarsorum modo binis ab iis praesertim differens.

42. **P. caudatus, n., *cephalothorace et pedibus castaneo-fuscis, pube tenui cinerascenti vestitis, pedibus quoque nigro- et cinerascenti-pilosis, partibus oris magis fuscis, palpis testaceo-fuscis, clava nigricanti; abdomine superius nigro et pube longiore pilisve sub-appressis cinerascentibus vestito, ventre nigricanti-cinereo; palporum parte tibiali maris in apice lateris exterioris, inferius, procursu brevi porrecto sub-incurvo, nigro, basi crassiore, apice truncato praedito.* — ♂ ad. *Long. circa 7 $^{1}/_{2}$ millim.*

Mas. — *Cephalothorax* laevis et nitidus est, minus dense sub-sericeo-pubescens, circa $^{1}/_{3}$ longior quam latior, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine aequante; utrinque antice leviter sinuato-angustatus est, parte cephalica brevi lateribus rectis anteriora versus paullo angustata, fronte leviter rotundata, paene truncata; pars thoracica lateribus ample et modice rotundatis anteriora et posteriora versus aequaliter angustata est, postice paene truncata et in medio paullo retusa; in utroque latere, pone impressiones cephalicas, sulcos duos radiantes ostendit. Declivitas postica a latere visa paene recta et modice declivis est, dorsum cephalothoracis ante eam paene rectum quoque. *Oculi*

medii antici reliquis oculis non parum majores sunt, posticis oculis sub-aequalibus paene duplo majores. Linea recta oculos anticos subter tangens laterales anticos in vel paullo supra medium secat. Area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice, et aeque fere longa ac lata antice. Spatium inter oculos medios anticos $^1/_4$ diametri eorum parum superat: a lateralibus anticis spatiis etiam paullulo minoribus distant. Medii postici spatio eorum diametro saltem dimidio majore separati sunt, a lateralibus posticis spatiis minoribus, oculi diametro paullo majoribus, remoti. Oculi bini laterales inter se paene contingentes videntur. Medii antici a mediis posticis spatiis horum diametrum paene aequantibus sejuncti sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei eorum diametro non parum est majus.

Mandibulae directae, saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, femoribus anterioribus angustiores, sub-cylindratae, basi sat leviter ad longitudinem convexae, pilis sparsae; sulcus unguicularis antice 3 dentibus (medio majore), postice 2 dentibus mediocribus armatus est; unguis mediocris. *Maxillae* in labium paullo inclinatae et circa id paullo curvatae, vix duplo longiores quam latiores, sub-ovatae, latere exteriore anterius non sinuato sed recto, apice exterius ample et fortiter rotundato, intus ante labium oblique et late truncato. *Labium* quadratum, vix ad medium maxillarum pertinens. *Palpi* mediocres, clava femoribus anticis paullo angustiore. Pars patellaris fere dimidio longior quam latior est, cylindrata, pars tibialis ea paullo angustior et non parum brevior, paullo longior quam latior, apice lateris exterioris magis subter in procursum parvum porrectum sub-incurvum basi crassiorem, apice ut videtur compressum et truncatum, fuscum exeunte. Pars tarsalis ovato-lanceolata, apice acuminata, reliquo palpo plus duplo latior, partibus duabus prioribus conjunctis multo longior, circa duplo et dimidio longior quam latior. Bulbus fuscus longus et humilis parum complicatus videtur: a latere visus subter laevis et versus basin modice convexus est. *Pedes* mediocri longitudine, sat graciles, anteriores eorum aculeis paucioribus quam posteriores pedes armati; femora tamen omnia aculeos sat multos

(superius) habent: in femoribus 3.^{ii} paris 10 aculeos video. Patellae posteriores utrinque aculeo praeditae videntur (ita saltem in patellis 3.^{ii} paris). Tibiae anteriores subter 1. 2. 1. vel 1. 2. 2. aculeos subter ostendunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., praeterea ut tibiae anteriores aculeis carentes. Tibiae et metatarsi posteriores compluribus aculeis praediti sunt, non tantum subter et in lateribus aculeati, verum etiam supra (ibi 1. vel 1. 1.) aculeis instructi. Unguiculi tarsorum bini 5-6 dentes habent. Coxae 4.^{i} paris spatio modo parvo separatae sunt. *Abdomen* angustius ovatum. *Mamillae* longae, inferiores cylindratae, triplo longiores quam latiores, mediae eas longitudine aequantes sed plus duplo angustiores, art. 2.º parvo evidenti; mamillarum superiorum art. 1.^{s} mamillas inferiores longitudine fere aequat sed iis paullo angustior est, plus triplo longior quam latior; art. 2.^{s} art. 1.^{m} longitudine aequat sed eo circa triplo angustior est, gracilis et cylindratus, apice paullo angustatus. Mamillae inferiores basi spatio diametrum suam paene aequante separatae videntur, mamillae superiores spatio diametro sua paullo majore sunt sejunctae: attamen mamillae inferiores et superiores basi trapezium paullo latius infra quam supra formare videntur. Mamillae inferiores a basi ad apicem divaricant, ut mamillae superiores art. suo 1.º, sed harum art. 2.^{s} retro vel paullo intus directus est. *Color* mamillarum sub-fuscus est, mamillae mediae reliquis tamen clariores.

Color praeterea: vid. diagnosin.

Lg. corp. 7 $^1/_2$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. paene 3, lat. clyp. 1 $^1/_2$; lg. abd. 4, lat. ej. 2 millim. Ped. I 11, II 10, III 9 $^1/_4$, IV 12$^1/_2$; pat. + tib. IV 4, metat. + tars. IV paene 5 millim

Singulum exemplum, ad Rangoon inventum.

Fam. CLUBIONIDAE.

Subfam. **THAMPHILINAE.**

Gen. **Jacaena** ([1]), n.

Cephalothorax inverse ovatus fere, brevis et humilis, clypeo humillimo; impressiones cephalicae distinctae, sulcus centralis parum evidens.

Oculi 8, quorum laterales mediis majores sunt, in series duas transversas paene parallelas saltem dimidiam frontis latitudinem occupantes dispositi: series antica paullo deorsum curvata, series postica ea non parum longior, leviter recurva; area oculorum mediorum paullo longior quam latior, non multo latior postice quam antice.

Sternum paullo longius quam latius, breviter ovatum fere, impressionibus inter coxas praeditum, apice postico obtuso inter coxas 4.i paris, quae spatio diametro sua parum minore separatae sunt, modo paullo pertinens.

Mandibulae paene directae, forma ordinaria, non in dorso aculeatae, ungue sat longo.

Maxillae, impressione transversa obliqua praeditae, paene porrectae quidem sunt sed in labium paullo inclinatae et, excepto apice, circum id curvatae eoque plus dimidio (non duplo) longiores; circa duplo longiores quam latiores sunt, ad insertionem palpi latae, tum in latere exteriore cito angustatae et evidenter constrictae, hoc latere dein sat fortiter rotundato, apice lateris interioris late et oblique truncato.

Labium aeque longum ac latum, sub-quadratum, lateribus tamen rotundatis, apice late truncato basin latitudine saltem aequante.

Palpi feminae unguiculo parvo, dentibus paucissimis armato, instructi.

Pedes sat longi et graciles, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes; parce pilosi sunt, aculeis longis appressis per paria

([1]) Nom. propr. pers. latin.

dispositis subter in tibiis et metatarsis anterioribus armati; unguiculi tarsorum bini sat parvi, dentibus paucis pectinati.

Abdomen sub-ovatum. Mamillae 6, superiores spatio non parvo separatae et mamillis inferioribus paullo longiores et angustiores.

Typus: *J. distincta*, n.

Cum *Oedignathidis*, immo cum *Storenidis*, hoc genus affinitatem sat magnam ostendit, forma partium oris et dispositione mamillarum tamen ab iis longe remotum, et sine dubio ad *Clubionidas* referendum: quum maxillae ejus impressionem transversam levem ostendant, inter *Thamphilinas* locandum est. A *Thamphilo* praesertim pedibus anterioribus eodem modo atque in *Oedignathidis* aculeatis praesertim facile diagnosi potest *Jacaena*.

43. **J. distincta, n., *cephalothorace fusco-ferrugineo, summo margine nigro; palpis et pedibus sordide testaceis; abdomine supra et in lateribus nigro, et linea transversa longissima albicanti ter abrupta in dorso ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, antice utrinque sat fortiter sinuatus et angustatus, parte cephalica brevissima, fronte lata et modo leviter rotundata; pars thoracica in lateribus ample et fortiter rotundata est, postice satis anguste truncata; punctis impressis plus minus densis et profundis scaber est cephalothorax, secundum partem cephalicam linea tenui longitudinali laevi notatus, quae postice in impressionem levem dilatata est: haec fovea centralis parum profunda etiam posteriora versus ut linea tenuis est continuata. Area *oculorum* plus dimidiam latitudinem frontis occupat. Oculi laterales, praesertim antici, reliquis oculis majores sunt, medii antici lateralibus anticis oblongis circa dimidio minores, medii postici deplanati et angulati mediis anticis non parum minores. Series oculorum antica leviter deorsum curvata est, series postica leviter recurva. Oculi medii antici spatio dimidiam eorum diametrum circiter aequante separati sunt, spatiis etiam paullo minoribus a lateralibus anticis remoti; medii postici spatio diametrum suam aequante sunt sejuncti, a lateralibus posticis paene dimidio longius quam inter

se remoti. Etsi series duae oculorum paene parallelae sunt vel potius extremitatibus paullo divaricantes, spatium inter oculos binos laterales non parum minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis distant, et quae diametrum oculi medii antici saltem aequant. Area oculorum mediorum parum latior est postice quam antice, et paullo longior quam latior postice. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos eorum diametrum longiorem vix aequat, saltem non superat. *Sternum* punctis minutis sat dense conspersum est.

Mandibulae paene directae, paullo divaricantes, cylindrato-ovatae, paullo plus duplo longiores quam latiores basi, femora antica latitudine basi fere aequantes, apice intus late et oblique rotundato-truncatae, basi sat fortiter ad longitudinem convexae, praeterea in dorso paene rectae: laeves sunt, pilis porrectis parce sparsae. Sulcus unguicularis latus est, in utroque margine ciliatus (sed non dentatus videtur). Unguis longus, aequaliter curvatus, oblique intus et retro directus. *Palporum* unguiculus modo 2 dentes ostendit. *Pedes* anteriores hoc modo aculeati sunt: tibiae 1.ⁱ paris subter 7 paribus aculeorum valde longorum porrectorum sunt armati, metatarsi hujus paris subter 5 paribus aculeorum ejusmodi; in pedibus 2.ⁱ paris tibiae subter 6, metatarsi 4 paria aculeorum habent. Praeterea pedes anteriores aculeis carent. Pedes posteriores aculeis paucis ordinariis sunt praediti: in tibiis eorum, e. gr., subter aculeos 2. 2., antice et postice 1. aculeum video; patellae posteriores aculeis carere sunt visae. Coxae 1.ⁱ paris duplo longiores quam latiores sunt. Tibiae omnes patella multo sunt longiores, metatarsi omnes tarso longiores. *Abdomen* sub-ovatum, laeve, tenuiter pubescens. *Mamillae* superiores sive posteriores spatio earum diametro majore separatae sunt, art. 1.° non parum longiore quam latiore, art. 2.° parvo et sub-conico; mamillae inferiores, spatio modo parvo sejunctae, iis non parum breviores et crassiores sunt, art. 2.° minuto, sub-conico; mamillae mediae superiores mamillas longitudine paene aequant, art. 2.° sat longo et sub-conico (?)

Color. — *Cephalothorax* fusco-ferrugineus est, summo margine nigro. *Sternum* sordide luteum vel testaceum. *Mandibulae* ferru-

gineae. *Maxillae* et *labium* sordide testacea. *Palpi* et *pedes* sordide testacei quoque, aculeis nigris. *Abdomen*, supra et in lateribus nigrum, parum ante medium linea transversa longissima paullo recurva albicanti ornatum est, vel potius serie longa transversa lineolarum brevium albicantium, quarum duae mediae, in dorso sitae, posteriora versus paullo divaricantes $\wedge$ latissimum et in medio abruptum fere formant, duae reliquae longiores, deorsum et paullo retro directae, in suo quoque latere abdominis sitae sunt et usque in ventrem continuatae. Ipse apex dorsi macula parva albicanti occupatur, quae utrinque anterius in lineolam transversam dilatata est. Venter, ante plicaturam genitalem pallidus, pone eam aut albicanti-testaceus dici potest, fasciis duabus posteriora versus appropinquantibus nigris, macula vel litura nigra inter eas, et apud plicaturam genitalem vitta transversa in medio abrupta nigra ornatus; aut niger, fasciis 4 longitudinalibus latis posteriora versus appropinquantibus pallidis, et vitta transversa apud plicaturam genitalem pallida. *Mamillae* flaventes.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. $3\,^1/_4$, lat. ej. $2\,^1/_2$; lat. clyp. $1\,^1/_2$; lg. abd. 3, lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I 9, II $8\,^1/_2$, III circa 7, IV $10\,^1/_4$; pat. + tib. IV $3\,^1/_2$, metat. + tars. IV $3\,^3/_4$ millim.

Femina singula in Tenasserim, in monte Mooleyit, inventa est.

Gen. **Thamphilus**, Thor., 1895.

44. **Th. gracilis**, Thor., Descr. Catal., *cet.*, p. 36.

Feminae tres, ad Palon inventae.

45. **Th. vivax, n., *cephalothorace nigro-piceo, sat crasse coriaceo, margine laterali partis cephalicae dense et subtiliter denticulato; sterno impresso-punctato et partibus oris piceis, pedibus piceo-rufis, aculeis paucis longis gracilibus et pilis ad partem longissimis et in series ordinatis consperso; abdomine supra cinereo-nigro, subter pallidiore.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non multo longior est quam latior, utrinque antice fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica brevissima anteriora versus parum angustata, fronte sat lata modo

levissime rotundata; in lateribus partis thoracicae, cujus margo dense denticulato-granulatus est, fortiter et aequaliter rotundatus est cephalothorax, postice, ubi fere aeque latus est atque antice, levissime emarginatus. Modice altus est, ipso dorso a latere viso antice ad oculos non parum convexo, praeterea paene recto, in declivitatem posticam lenem sensim transeunte. Sat crasse coriaceus est cephalothorax, pilis rarioribus erectis sparsus. Sulcus centralis impressione vel fovea levissima repraesentatur, a qua linea impressa brevis sive sulcus tenuis posteriora versus ductus videtur. Clypei altitudo diametrum oculorum anticorum vix superat. Area *oculorum* plus duplo latior est quam longior, plus dimidium latitudinis frontis occupans; series oculorum duae parallelae, antica leviter deorsum curvata, postica levissime recurva, paene recta, et saltem oculi lateralis diametro longior quam series antica. Paene eadem magnitudine sunt oculi, laterales antici reliquis tamen evidenter paullo majores. Area oculorum mediorum paene aeque longa ac lata postice est, latior postice quam antice. Oculi medii antici spatio dimidiam eorum diametrum vix aequante sunt sejuncti, a lateralibus anticis oblongis spatiis etiam minoribus separati. Oculi postici, quorum medii valde obliqui et anteriora versus divaricantes sunt, spatiis postice sub-aequalibus, diametrum oculi vix aequantibus, sunt separati. Spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, ut spatium inter binos laterales, oculi diametro paullo minus est. *Sternum* circa $^1/_4$ longius quam latius, convexum, antice truncatum, in lateribus rotundatum, postice brevi spatio sensim angustatum, apice obtuso inter coxas 4.ⁱ paris, quae spatio earum latitudine multo majore sunt separatae, pertinens; punctis impressis sat fortibus sparsum est et impressionibus levibus utrinque, ex-adversus interstitia coxarum, praeditum.

Mandibulae directae, sat fortes, paene ovatae, duplo longiores quam latiores, femora antica basi crassitie aequantes, versus basin fortiter ad longitudinem convexae, laeves, nitidae, parce pilosae; sulcus unguicularis antice dentibus 3 (intimo excepto magnis), postice 2 dentibus parvis armatus. Unguis longus, oblique intus et retro directus. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, in

labium paullo inclinatae et incurvae, impressione media distinctissima praeditae, latere exteriore inter insertionem palpi et apicem primum leviter sinuato, dein, ad apicem, rotundato, apice intus late et oblique truncato. *Labium* parum plus dimidium maxillarum longitudine aequat, parum longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* mediocres; pars patellaris duplo longior est quam latior, pars tibialis ea paullo angustior, plus duplo longior quam latior, pars tarsalis etiam paullo longior et angustior, obtusa, ut priores cylindrata. *Pedes* sat longi, graciles, metatarsi et tarsi praesertim. Pilis tenuibus sat raris conspersi sunt et praeterea pilis multo longioribus paene erectis praesertim supra et subter in femoribus in series digestis praediti, veris aculeis gracilibus (vel potius setis) paucis et longis praeterea instructi. Coxae 1.ⁱ, 2.ⁱ et 4.ⁱ parium valde longae sunt, 1.ⁱ paris paene triplo longiores quam latiores, 3.ⁱⁱ paris vix dimidio longiores quam latiores, trochanteres brevissimi, patellae longae, dimidiam tibiam longitudine circiter aequantes. *Abdomen* plus duplo longius quam latius, molle, anguste et inverse ovatum fere, antice sub-truncatum, lateribus primum parum, dein fortius rotundatis posteriora versus paullo dilatatum, postice breviter sub-acuminatum. *Mamillae* mediocres, superiores et inferiores paene aequali magnitudine, superiores spatio earum diametrum saltem aequante separatae, et paullo angustiores sed vix longiores quam inferiores, quae basi paene contingentes sunt inter se. Mamillae mediae reliquis non parum angustiores et paullo breviores. Petiolus sat longus, antice chitinosus. *Vulva* ex fovea maxima non profunda, ovata, nigra, costa sat tenui limitata constat, cui postice adjacent tubercula duo magna humilia rotunda pallida, inter se contingentia.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, nigro-marginatus. *Sternum* et *partes oris* picea. *Pedes* piceo-rufi, *palpi* ejusdem coloris, parte tarsali apice late nigra. *Abdomen* cinereo-nigrum, subter magis cinereum et utrinque ante plicaturam genitalem sub-fuscum; in medio dorso duo puncta nigra video, unum utrinque. *Mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. paene 2, lat. clyp. paene 1; lg. abd. 4 $^1/_2$, lat. ej. parum plus 2 millim. Ped. I 8,

II 7, III 5, IV 9; pat. + tib. IV $3\,^3/_4$, metat. + tars. IV 3 millim.

Femina singula, ad Moulmein capta. — *Th. vivax* a notis gen. *Thamphili*, Thor. (Descr. Catal., *cet.*, p. 35) paullo discrepat, et quidem in eo, quod in hac specie oculi laterales modo antici mediis oculis majores sunt, et quod oculi medii postici valde obliqui modo antice spatio majore inter se sunt separati quam quo a lateralibus posticis distant; sed vix ob eam causam novo generi subjicienda est *T. vivax*.

Gen. **Sphingius**, Thor., 1890.

46. **S. scrobiculatus, n., *cephalothorace nigro-piceo, crasse impresso-punctato et in margine laterali subtiliter denticulato, sterno et partibus oris piceis; palpis ad maximam partem cum pedibus luteis, apice lateris exterioris partis tibialis in spinam longam gracilem foras curvatam producto; scuto dorsuali piceo totum abdomen superius tegente, scuto ventrali angustiore paene ad mamillas pertinente.* — ♂ ad. *Long. circa 4 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* utrinque antice sat fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica brevi anteriora versus paullo angustata, fronte leviter rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine aequante, parte thoracica in lateribus praesertim posterius sat fortiter rotundata; postice truncatus et ibi vix latior quam antice; crasse et non dense impresso-punctatus est, margine laterali partis thoracicae dense denticulato; impressionibus cephalicis et sulco centrali caret. Humilis est, dorso ipso ante declivitatem posticam brevem et lenem paene recto, modo versus oculos modice convexo. Series *oculorum* parallelae; series antica paullo deorsum curvata est, series postica, ea paullo longior, leviter recurva. Area oculorum mediorum latior est postice quam longior, et latior postice quam antice. Clypei altitudo diametrum oculi medii antici, sed non lateralis antici, aequat. Oculi laterales, praesertim antici, mediis ejusdem seriei non parum majores sunt, medii antici mediis posticis vix vel non majores; oculi medii postici inter se paullo longius quam a lateralibus posticis distant,

ab iis spatio parvo, ut omnes oculi antici inter se, remoti. Spatium inter oculos binos laterales paullulo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis sunt separati, his spatiis oculi diametrum vix aequantibus. *Sternum* magnum, parum longius quam latius, convexum, antice truncatum, in lateribus fortiter rotundatum, apice postico brevissimo inter coxas 4.ⁱ paris, quae spatio diametro sua plus duplo majore separatae sunt, pertinens.

Mandibulae plus duplo longiores quam latiores, nitidae, laeves. *Maxillae* vix duplo longiores quam latiores, in labium inclinatae et incurvae et eo saltem duplo longiores; *labium* vix longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* sat longi, nitidi; clava femora antica latitudine aequante. Pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis ea brevior, fere aeque longa ac lata, apice lateris exterioris in spinam longam (ipsa parte tibiali paene duplo longiorem), foras curvatam, basi anteriora versus, dein etiam foras directam excurrente, quae spina gracilis est, acuminata sed praeterea crassitie aequali. Pars tarsalis ovata, partibus prioribus plus duplo latior et eas conjunctim longitudine saltem aequans. *Pedes* graciles, longitudine mediocri, parce pilosi, aculeis carentes; coxae longae: 1.ⁱ paris plus duplo longiores quam latiores; trochanteres brevissimi. *Abdomen* anguste ovatum, scuto tenuiter et minus dense impresso-punctulato nitidissimo superius totum tectum, scuto inferiore angustiore paene totum ventrem, excepto spatio angustissimo ad latera et postice, tegente; ante plicaturam genitalem durius et in tubulum brevissimum (partem brevem petioli abdominalem) productum est hoc scutum.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus. *Sternum* et *partes oris* rufescenti-picea. *Palpi* lutei, parte tarsali magis fusco-testacea. *Pedes* pulchre lutei. *Abdominis* scutum dorsuale piceum, scutum ventrale paullo pallidius fuscum: spatium angustissimum molle, quod scuta separat, cinerascens est.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. clyp. circa $^3/_4$; lg. abd. 2 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 6, II 5 $^1/_2$, III 5, IV 6 $^3/_4$; pat. + tib. IV et metat. + tars. IV 2 $^2/_3$ millim.

Mas singulus, ex Palòn.

Subfam. **CORINNOMMATINAE.**

Gen. **Tyrrhus**, Thor., 1895.

47. **T. ambiguus, n., *cephalothorace in fundo nigro, dense coriaceo (pube plumata vestito?); pedibus fusco-testaceis, 4.ⁱ paris piceis, femoribus omnibus nigro-piceis, tarsis testaceis; abdomine inverse ovato-cylindrato, in fundo nigro, pube vel pilis parvis plumosis saltem ad partem vestito; vulva ex foveis duabus oblongis obliquis ad marginem posticum scuti durioris, quod cutis ventris ante plicaturam genitalem format, constante.* — ♀ ad. *Long. paullo plus* 6 *millim.*

Femina. — Aranea, cui hoc nomen do, gen. *Tyrrhi* haud dubie est, et feminam adultam *T. nitidi,* Thor. (1), eam facile credidissem, nisi cephalothoracem et abdomen supra dense coriacea haberet, quasi si pube crassa vestita fuissent, de qua re saltem ad cephalothoracem quod attinet minus certus sum, quum ut abdomen et fere totum corpus limo vel luto quodam totus sit tectus (in exemplo, quod singulum vidi: in *T. nitido,* contra, abdomen « laeve et nitidissimum et, ut videtur, glabrum » dicitur). Praeterea quoad formam *cephalothoracis* et paene omnium partium descriptio *T. nitidi* in hanc speciem cadit. *Oculi* ut in eo sunt dispositi, excepto quod area mediorum evidentissime latior est postice quam longior; oculi medii postici spatio diametro sua duplo majore separati sunt; a lateralibus posticis spatiis paullo minoribus sunt remoti. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro paullo est majus. *Sternum,* subtiliter impresso-punctatum, apice inter coxas 4.ⁱ paris, quae circa duplo longiores quam latiores sunt, parum pertinet. *Pedes* anteriores ut in *T. nitido* aculeati, aculeis subter in tibiis et metatarsis in paria obliqua dispositis. Dentes pauci, quibus unguiculi tarsorum pectinati sunt, breves dicendi, ut qui latitudinem dorsi ipsius unguiculi non longitudine aequant. *Abdomen* ovato-cylindratum duplo longius est quam latius; cutis, qua

(1) Descr. Catal., *cet.*, p. 39.

dorsum ejus tectum est, basi durior quam posterius videtur: *fortasse* pone hanc partem duriorem transversim impressum est dorsum, in quo saltem posterius vestigia pubescentiae plumosae vidi. Venter ante plicaturam genitalem corneus est, hac cute duriore etiam sursum in latera continuata et partem petioli abdominalem formante. *Mamillae* brevissimae. Conf. praeterea descriptionem *T. nitidi*, loc. cit.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger et opacus est, *sternum* rufescenti-fuscum. *Mandibulae* nigrae, *maxillae* et *labium* picea, illae intus pallidiores, ut hoc apice. *Palpi* sub-ferruginei. *Pedes* fusco-testacei, 4.i paris picei; femora tamen omnia nigro-picea, tarsi testacei. *Abdomen* nigrum, scuto illo antice in ventre piceo; pubescentia plumata, cujus vestigia dorsum abdominis ostendit, virescens fuisse videtur.

Lg. corp. paullo plus 6; lg. cephaloth. 3, lat. ej. circa 2, lat. clyp. circa 1; lg. abd. $3\,^1/_2$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 6, II ? III $5\,^1/_2$, IV paene 8; pat. + tib. IV paene 3, metat. + tars. IV $3\,^1/_3$ millim.

Femina, quam singulam detritam et valde mutilatam vidi, ad Chialà capta est.

Gen. **Corinnomma**, Karsch, 1880.

48. **C. Harmandii**, Sim., Arachn. recueillis dans . . . . Siam, *cet.*, *in* Actes Soc. Linn. Bordeaux, p. 24 (1886) (= ♀); Thor., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 45 (1887) (= ♂); id., Descr. Catal., *cet.*, p. 40.

Sat multa exempla, ♂ et ♀, ex Moulmein, Palòn, Bhamò et montibus Carin Chebà. — De hac aranea (exemplis ex Bhamò) haec annotavit Cel. Fea: « Questa specie fissa nel mezzo della sua tela [?] una foglia accartocciata dove essa si sta appiattata coi piccoli ».

Subfam. **MYRMECIINAE.**

Gen. **Myrmecisca** (¹), n.

Hoc nomine eas gen. *Myrmeciae*, Latr., species designatas vellem, quae cephalothoracem modo in *duas* partes, cephalicam et thoracicam, constrictum habent; praeter species typica, *M. Birmanica*, saltem *Myrmecia nigra*, Perty, C. L. Koch, gen. *Myrmeciscae* videtur.

49. **M. Birmanica, n., *cephalothorace nigro, pube tenui densa virenti-cinerea vestito, remanentibus nigris apice postico partis thoracicae et macula ejus antica ut et maculis duabus lineaque obliquis in utroque latere ejus; pedibus posterioribus nigris, patellis* 4.ⁱ *paris ad maximam partem testaceis, pedibus anterioribus ad magnam partem sub-testaceis, femoribus nigro-lineatis, coxis* 1.ⁱ *paris flavo-testaceis; abdomine breviter ovato, pube tenui densa cinereo-virenti vestito.* — ♀ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* saltem triplo longior est quam latior, apud coxas 1.ⁱ paris fortiter transversim depressus et constrictus et ita in duas partes divisus, quarum anterior sive cephalica (« caput ») paullo longior est quam latior, antice late truncata (modo levissime rotundata), lateribus paullulo rotundatis posteriora versus paullo angustata; pars posterior sive thoracica anguste ovata est, saltem duplo longior quam latior, lateribus anterius (non usque ad medium) leviter rotundatis sensim paullo dilatata, dein lateribus parum rotundatis paene rectis sensim angustata, apice postico obtuse rotundato fronte paene triplo angustiore. Inter coxas 2.ⁱ-4.ⁱ parium et pone has coxas margo lateralis partis thoracicae levissime ter sinuatus videtur; a latere visa pars cephalica fortiter convexa, paene semi-globosa, est et parte thoracica paullo altior, pars thoracica ad apicem posticum brevi spatio humillima, dein, in declivitate postica mediocri, sensim modice assurgens, dorso ipso recto et librato, modo versus

(¹) Dimin. *Myrmeciae.*

partem cephalicam convexo-proclivi. Altitudo clypei longitudinem areae oculorum mediorum fere aequat. *Oculi* parvi dicendi; medii antici, lateralibus posticis vix vel parum majores, mediis anticis circa dimidio, lateralibus anticis saltem duplo majores sunt. Area oculorum fere totam latitudinem frontis occupat; in duas series apicibus paullo divaricantibus dispositi sunt, quarum postica serie antica circa duplo longior est et sat fortiter recurva, series antica paullo sursum curvata. Area oculorum mediorum aeque longa est ac lata postice et non parum latior postice quam antice. Oculi medii antici spatio eorum diametrum paullo superante sejuncti sunt, a lateralibus anticis spatiis saltem duplo minoribus separati. Spatium inter medios posticos eorum diametro saltem triplo majus est: a lateralibus posticis circa dimidio longius quam inter se remoti sunt hi oculi. Spatium inter binos laterales maximum est, circa dimidio majus quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant. *Sternum* plus duplo longius quam latius, ante coxas 1.[i] paris pertinens et ibi deorsum curvatum, antice truncatum, postice non inter coxas 4.[i] paris, quae paene contingentes sunt inter se, pertinens; vix convexum est, albicanti-pubescens. *Petiolus* longus, articulatione fere in medio.

Mandibulae deorsum directae, fortes, femoribus anticis multo crassiores, duplo longiores quam latiores, apice intus late et oblique truncatae, in dorso ad longitudinem leviter convexae, laeves et pilis sparsae; sulcus unguicularis in margine antico dense ciliato duos dentes majores saltem habet; in margine postico dentes tres parvos vidisse videor. Unguis mandibula duplo brevior, modice curvatus, intus et paullo retro directus. *Maxillae* magis deorsum quam anteriora versus directae, longae, labio circa duplo longiores, parallelae, ante labium paullo divaricantes, in latere exteriore late sinuatae, dein, ad apicem, rotundatae, intus ante labium late et oblique truncatae. *Labium* paullo longius quam latius, rugulosum, apice rotundatum. *Pedes* longi, gracillimi et fragilissimi, trochanteribus brevibus, coxis longis et crassis; ad longitudinem ita: IV, I, II, III se excipiunt, scopulis carentes, pube tenuissima vestiti et aculeis gracilibus ut videtur modo paucissimis instructi. Unguiculi tarsorum bini gra

ciles sunt, dorso recto, sat longo; dentibus non paucis mediocribus densis (in pedibus 3.ii paris 8) pectinati sunt. *Abdomen* breviter ovatum, fortiter convexum, pube tenui densa totum superius vestitum; cutis dorsi anterius duriuscula est et scutum rotundatum ibi formare videtur; cutis ante plicaturam genitalem, subter et in lateribus, scutum etiam durius format, quod antice in tubum (partem abdominalem petioli) aeque longum ac latum productus est. *Mamillae* brevissimae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, pube tenui sericea pallide virescenti-cinerea dense vestitus, remanente in parte thoracica hac pictura nigra: macula fere Λ-formis antice prope partem cephalicam, maculis duabus oblongis obliquis in utroque latere, inter coxas 2.i et 3.ii parium, et linea obliqua utrinque apud declivitatem posticam, apice postico partis thoracicae nigro quoque. *Sternum* nigrum, albo-pubescens. *Mandibulae* piceae; *maxillae* et *labium* nigra. *Palporum* pars femoralis testaceo-fusca. *Pedes* anteriores in fundo testaceo-fusci vel sordide testacei sunt, femoribus ad longitudinem nigro-lineatis, tibiis apice late cum metatarsis et tarsis nigris vel piceis; coxae 1.i paris flavo-testaceae sunt, 2.i paris subter ad partem sub-testaceae. Pedes posteriores toti nigri, excepto quod patellae 4.i paris testaceae sunt, fascia vel macula oblonga sub-triangula nigra supra notatae, et tibiae hujus paris basi subter anguste testaceae. Pube tenuissima pallide cinerascenti (in femoribus posticis ad partem obscure fusca quoque?) vestiti fuisse videntur pedes. *Abdomen* nigrum, pube pallide cinereovirenti densa vestitum.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 4, lat. ej. paene $1\,^1/_2$, lat. clyp. paene $1\,^1/_3$; lg. abd. 3, lat. ej. 2 millim. Ped. I ? (sine tarso $5\,^5/_6$), II 6, III $5\,^5/_6$, IV 9; pat. + tib. IV 3, metat. + tars. IV $3\,^1/_2$ millim.

Singulam feminam, palpis et pedibus mutilatam vidi, in montibus Carin Chebà captam. — Reliquae hujus subfamiliae species adhuc cognitae omnes, quantum scio, Americae incolae sunt.

Subfam. **CLUBIONINAE.**

Gen. **Creugas**, Thor., 1878.

50. **C. gulosus**, Thor., Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 175 (1878) (= ♀ jun.); *Phanoptilus sericeus*, id., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 41 (1887), et *Pranopis punctata*, id., Spindl. fr. Nikobarerna, *cet.*, in K. Svenska Vet-Akads. Handl., XXII, n.º 2, p. 21 (1895) (= ♂ ad.).

Femina junior, cum typo hujus speciei et cum descriptione ejus loc. cit. 1878 data plane conveniens, excepto quod mandibulae ejus magis deorsum quam anteriora versus directae dici debent, ad Palòn invenit Fea. In hac femina jun., ut in illa loc. cit. descripta, sulcus unguicularis mandibularum antice 3 dentibus, postice serie dentium 5 est praeditus; in mare adulto ex Mandalay, qui ejusdem speciei certe est, sed qui non a *Phanoptilo sericeo* (= *Pranopis punctata*, ex Nicobarium insulis) differt, antice 3 dentes (medium reliquis majorem), postice seriem dentium 4 (5 ?) ostendit sulcus unguicularis. — Non dubium mihi videtur, quin sit hic mas, sive *Phanoptilus sericeus*, ex Bhamò, cujus in typo sulcus unguicularis 5 dentibus (non modo duobus, ut in descriptione ejus errore dicitur) postice armatus est, mas *Creugae gulosi*, qui, in Amboina a Beccari detectus, nunc is quoque in Birmania, ad Palòn, inventus est.

Gen. **Otacilia** [1], n.

Cephalothorax inverse ovatus fere, brevis, humilis, fronte angusta, impressionibus cephalicis et sulco ordinario centrali distinctissimis.

Oculi sub-aequales (medii antici lateralibus anticis vix vel non minores), in series duas paene parallelas disposití, quarum postica paullo est recurva et longior quam antica, quae a fronte visa recta est.

[1] *Otacilius* est nom. propr. pers.

Sternum rotundatum, apice longo postico inter coxas 4.[i] paris pertinens.

Mandibulae directae, sat parvae, aculeo vel aculeis in dorso armatae.

Maxillae sub-ovatae, convexae, labio fere triplo longiores; labium fere duplo latius quam longius, apice late truncatum.

Pedes ita: IV, I (I, IV), II, III longitudine se excipientes, scopulis carentes, anteriores fortes et aculeis porrectis valde longis et fortibus, tuberculis altis impositis subter, ad latera, in tibiis et metatarsis armati; unguiculi tarsorum bini parvi, in dorso recti, dentibus paucis raris praediti.

Abdomen longius, sub-ovatum, spiraculo in medio ventris carens.

Mamillae superiores reliquis paullo longiores, spatio diametro sua saltem triplo majore separatae, angustae, art. 1.° cylindrato, art. 2.° brevi et sub-conico; mamillae inferiores iis multo crassiores et basi inter se contingentes: mamillae mediae longitudine et crassitie mamillas inferiores paene aequantes, inter mamillas superiores locatae et cum iis lineam paene rectam designantes.

Typus: *O. armatissima*, n.

Mandibulis in dorso aculeatis hoc genus cum *Phrurolitho* (C. L. Koch), Westr., affinitatem ostendit, praeterea magis cum *Liocrano*, *Astratea* et *Aposteno* conveniens: praeter nota illa labio multo latiore quam longiore et oculis in series duas parallelas dispositis, quarum postica recurva est, cet., ab iis abunde differens.

51. **O. armatissima, n., *cephalothorace fusco-testaceo, summo margine nigro et fascia nigricanti secundum marginem utrinque notato; pedibus fusco-testaceis, femoribus, tibiis et metatarsis apice nigris; abdomine virenti-cinereo, nigro-maculato, linea longitudinali antica et pone eam serie macularum paucarum* Λ*-formium nigricantium secundum medium dorsi notato; mandibulis aculeis binis in dorso armatis; tibiis* 1.[i] *paris aculeorum paribus* 8, 2.[i] *paris* 5, *paribus, metatarsis anterioribus* 4 *paribus aculeorum subter armatis, et femoribus* 1.[i] *paris serie aculeorum* 4 *ejusmodi in latere interiore.* — ♀ ad. *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non parum brevior quam tibia cum

patella 4.ⁱ paris, circa $^1/_4$ longior quam latior, antice utrinque paullo sinuatus, anterius sensim fortiter angustatus, parte cephalica parva lateribus paene rectis anteriora versus angustata, parte thoracica magna, in lateribus ample rotundata, postice late truncata et ibi fronte circa duplo latior; dorsum cephalothoracis a declivitate postica ad oculos rectum est, area oculorum paullo proclivis, clypeus paene directus, latitudine non $^1/_4$ partis thoracicae aequans. Altitudo clypei oculi antici diametro paullo est major. Area oculorum duplo latior quam longior est et paene totam frontis latitudinem occupat. Series eorum duae paene parallelae sunt, apicibus inter se parum appropinquantes; series postica, quae non parum longior est quam antica, paullo est recurva, antica a fronte visa parum deorsum curvata, paene recta. Area oculorum mediorum non parum latior est postice quam antice et aeque longa ac lata postice. Oculi antici spatiis parvis paene aequalibus separati sunt; medii postici, spatio eorum diametrum paene aequante sejuncti, a lateralibus posticis spatiis sunt remoti, quae saltem duplo minora sunt (sed majora quam spatia quae oculos anticos separant). Spatium inter binos laterales modo paullo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis sunt sejuncti, his spatiis diametro oculi paullo majoribus. *Sternum* parum longius quam latius, antice late rotundato-truncatum, apice postico longe inter coxas 4.ⁱ paris, quae spatio dimidiam eorum latitudinem saltem aequante separatae sunt, pertinens.

Mandibulae duplo longiores quam latiores, femoribus anticis angustiores, in dorso ad longitudinem praesertim versus basin modice convexae et aculeis sat gracilibus binis porrectis armatae, altero ad basin, altero versus medium dorsi sito. *Palpi* graciles, paullo aculeati; pars femoralis subter serie setarum praedita est; pars tibialis duplo longior est quam pars patellaris, quae saltem dimidio longior est quam latior; pars tarsalis versus apicem subter quodam modo scopulata videtur. *Pedes* anteriores crassiores quam pedes posteriores, praesertim quam 4.ⁱ paris, qui graciles sunt; pedes 1.ⁱ paris contra (tarsis exceptis) sat fortes, et parum breviores quam 4.ⁱ paris pedes. Non tantum tibiae et metatarsi

anteriores subter ad latera aculeis longissimis fortissimis et appressis (8 paribus in tibiis 1.i paris, 5 paribus in tibiis 2.i paris, et 4 paribus in metatarsis anterioribus), tuberculis altis impositis armati sunt: etiam femora 1.i paris seriem 4 aculeorum ejusmodi in latere anteriore ostendunt. (In pedibus 2.i paris aculei debiliores sunt quam in 1.i paris pedibus). Omnia femora aculeum gracilem supra versus basin habent: pedes posteriores praeterea aculeis carere videntur. *Abdomen* angustius ovatum, antice subretusum.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus, summo margine laterali partis thoracicae nigro, et praeterea fascia vel umbra lata inaequali nigricanti secundum hunc marginem in utroque latere notatus. *Sternum* et *partes oris* testacea. *Palpi* testacei. *Pedes* fusco-testacei, apice femorum, tibiarum et metatarsorum (excepto metatarsorum 4.i paris) saltem utrinque nigro. Aculei fusci. *Abdomen* supra virenti-cinereum, linea media longitudinali nigra antice in dorso, quem sequitur series macularum transversarum Λ-formium 4 gradatim paullo majorum, quarum postica (quae linea tenui pallida transversim geminata videtur) postice maculae supra-anali sub-triangulae testaceae adjacet. Antice utrinque, apud lineam illam, macula major nigricans adesse videtur, et latera abdominis quoque nigricanti-maculata sunt: immo venter subtestaceus pone plicaturam genitalem fascias 4 longitudinales nigricantes ostendit, ante eam maculis duabus magnis inaequalibus nigris notatus. *Mamillae* testaceae.

Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. paene 2, lat. clyp. circa $^3/_4$; lg. abd. 3, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I paene 8 $^1/_4$, II 6, III 5 $^1/_2$, IV 8 $^1/_4$; pat. + tib. IV paene 3, metat. + tars. IV 3 $^1/_4$ millim.

Singula femina, ex montibus Chebà sive Bia-pò.

Gen. **Mardonia** (1), n.

Cephalothorax inverse ovatus, humilis, sub-deplanatus, fronte sat lata, sulco centrali brevi sed distincto, altitudine clypei diametrum oculi antici non superante.

(1) *Mardonius*, nom. propr. pers. hist.

Oculi paene aequali magnitudine (medii antici lateralibus anticis non vel parum minores), paene totam latitudinem frontis occupantes; in series duas apicibus paullo appropinquantes dispositi sunt, quarum postica longior est quam antica et paullo procurva, antica paullulo deorsum curvata; oculi medii postici vix longius inter se quam a lateralibus posticis distant.

Sternum breve, latum, postice inter coxas 4.[i] paris pertinens.

Mandibulae deorsum directae, sat breves, in dorso inermes.

Maxillae breviter ovatae, convexae, labio plus duplo longiores.

Labium breve, transversum.

Pedes sat breves et fortes, ita: IV, I, II (vel II, I), III longitudine se excipientes; pedes anteriores subter ad latera in tibiis et metatarsis aculeis valde longis et fortibus, tuberculis altis impositis, armati, pedes posteriores aculeis paucis et gracilibus praediti.

Abdomen anguste ovatum, sub-depressum, spiraculo in medio ventris carens.

Mamillae mediocres, superiores inferioribus paullo angustiores et longiores, art. 2.° brevi sub-conico.

Typus: *M. fasciata*, n.

Gen. *Clubionae* et *Ataliae* praesertim affinis est *Mardonia*, labio brevi transverso et armatura pedum anteriorum fortissima praesertim ab his generibus differens.

52. **M. fasciata, n., *cephalothorace testaceo, fasciis duabus longitudinalibus parallelis nigris antice inter se unitis ornato, tota facie et fascia lata dorsum mandibularum paene usque ad apicem occupante nigris quoque; pedibus testaceis, patellis et tibiis anterioribus ad maximam partem nigris; abdomine cinereo-testaceo, fasciis duabus longitudinalibus leviter incurvis nigris secundum totum dorsum extensis ornato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* humilis, supra paene planus, impressionibus cephalicis carens, pilis sparsus, circa dimidio longior quam latior, clypeo dimidiam partem cephalicam latitudine paullo superante, fronte sat lata, paene truncata. *Oculi* sat magni, paene aequales. Area oculorum mediorum paullo latior est po-

stice quam antice et paullo latior postice quam longior. Spatia inter oculos anticos aequalia sunt et oculi diametrum aequant; spatium inter oculos medios posticos eorum diametro paullo majus est, et spatia quibus a lateralibus posticis distant etiam paullo majora. Spatium inter oculos binos laterales eorum diametrum circiter aequat et paullo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis distant, et quae oculi medii diametro paullo majora sunt. Spatia inter oculos anticos et marginem clypei eorum diametro minora sunt. *Sternum* breviter ovato-triangulum, antice late truncatum, apice postico inter coxas 4.^{i} paris, quae spatio latitudinem earum aequante separatae sunt, pertinens.

Mandibulae vix duplo longiores quam latiores, pilis sparsae. *Maxillae* labio saltem triplo longiores; *labium* plus duplo latius quam longius, apice late truncatum. *Pedes* breves; 1.^{i} et 2.^{i} parium fere aeque longi sunt et aculeis valde longis et fortibus, appressis, in paria dispositis subter, ad latera, in tibiis et metatarsis armati: 4 paribus in tibiis, pari singulo in metatarsis (an ita etiam in adultis?); femora 1.^{i} paris praeterea seriem aculeorum minorum erectorum (*non* tuberculis impositorum) circa 3 subter habent aliamque talem seriem antice: etiam femora 2.^{i} paris saltem seriem aculeorum 3, sed multo graciliorum, subter ostendunt. Pedes posteriores paucioribus et debilioribus aculeis sunt armati, quorum 1. 1. subter in metatarsis 3.^{ii} paris praesertim distincti sunt.

Color. — *Cephalothorax* testaceus, tota facie nigra, et fasciis duabus longitudinalibus supra-marginalibus parallelis antice inter se transversim unitis nigris ornato, quae praeterea spatio earum latitudine paene duplo latiore separatae sunt; mandibulae testaceae, in dorso nigrae. *Sternum, maxillae* et *labium* testacea. *Pedes* quoque testacei, tibiis et patellis anterioribus ad maximam partem nigris: in pedibus posterioribus modo apex metatarsorum anguste nigricans est. Aculei fusci. *Abdomen* cinereo-testaceum, testaceo-pubescens, fasciis duabus lateralibus latis, leviter incurvis, per totum dorsum extensis et antice posticeque inter se unitis ornatum, quae spatio earum latitudine minore a lateribus dorsi,

et spatio hac latitudine duplo majore in medio inter se remotae sunt. Venter cinereo-testaceus, ante plicaturam genitalem pallide testaceus.

♀ *jun.* — Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. paene 1 $^1/_2$, lat. clyp. paene 1; lg. abd. paullo plus 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 1 $^1/_4$. Ped. I 5 $^1/_4$, II 5 $^1/_4$, III 4, IV 6; pat. + tib. IV 1 $^1/_2$, metat. + tars. IV 2 millim.

Singula femina nondum adulta ad Palòn est capta.

Gen. **Clubiona** (Latr.), 1804.

53. **C. distincta**, Thor., Primo Saggio, *cet.*, p. 48.

Exempla pauca feminea, adulta et juniora, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò inventa sunt, mas vero singulus adultus, quem hujus speciei credo, ad Mandalay.

Haec species ad magnitudinem valde variat: maxima feminarum quas vidi, 11 millim. longa est. — *Vulva* melius quam loc. cit. hoc modo describi potest: pars ventris ante plicaturam genitalem pallida in medio apud eam aream sat parvam elevatam nitidam parum obscuriorem, sulco medio longitudinali tenui bipartitam ostendit, cujus apex anticus truncatus foveolis duabus levibus rotundatis, costa tenui transversa bis recurva fusca antice limitatis, occupatur; in medio apicis postici (*non* antice) haec area foveam transversam triangulam (apice anteriora versus directo) ostendit, quae in utroque angulo posteriore macula (foveola?) nigra notata est.

54. **C. esuriens**, n., *cephalothorace cum mandibulis luteo-testaceo, palpis (clava obscuriore excepta) et pedibus flavo-testaceis, abdomine testaceo-cinereo, ventre postice lineis duabus brevibus nigricantibus, notato; oculis mediis anticis reliquis oculis sub-aequalibus multo minoribus, spatio dimidiam diametrum suam non aequante separatis, sed a lateralibus anticis paullo longius quam inter se remotis; apice lateris exterioris partis tibialis palporum in spinam brevem apice compressam et paullo oblique truncatam producto, tibiis* 3.^{ii} *paris subter aculeo singulo armatis.* — ♂ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* plus dimidio longior est quam latior, patella cum tibia 4.[i] paris paullo brevior, forma in hoc genere ordinaria, parte cephalica anteriora versus paullo angustata, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superante, levissime rotundata, paene truncata, parte thoracica in lateribus ample et sat leviter rotundata. *Oculi* medii antici reliquis oculis multo minores sunt, laterales antici oculis posticis (saltem mediis) paullo majores. Area oculorum, qui in series duas apicibus inter se appropinquantes dispositi sunt, totam frontis latitudinem occupat; series postica, serie antica multo longior, desuper visa paene recta, parum procurva est, series antica a fronte visa recta. Area oculorum mediorum transversa, saltem duplo latior postice quam antice, et non parum longior quam latior antice. Oculi medii postici spatio eorum diametro duplo majore separati sunt, a lateralibus posticis spatiis diametro illo modo paullo majoribus remoti. Oculi medii antici spatio dimidia eorum diametro minore sunt disjuncti, a lateralibus anticis spatiis paullo majoribus separati. Spatium inter oculos binos laterales dimidiam diametrum posterioris eorum fere aequat; medii antici a mediis posticis spatiis duplo majoribus, diametrum oculi medii postici aequantibus, remoti sunt.

Mandibulae, deorsum et paullo anteriora versus directae, fere triplo longiores quam latiores sunt, forma ordinaria, in dorso ad longitudinem parum convexae, paene rectae. *Palpi* graciles, sat longi, clava angusta femora antica latitudine vix aequante. Pars patellaris duplo longior est quam latior, pars tibialis ea non parum longior et basi ejus latitudine, sed in latere exteriore sensim paullo dilatata, ita ut vix duplo longior sit quam latior prope apicem; latus ejus exterius prope apicem, superius, in spinam porrectam, praesertim basi fortem, leviter deorsum curvatam, versus apicem compressam, fuscam, basi pallidam, latitudinem apicalem ipsius partis tibialis longitudine non aequantem est productum; quae spina a latere visa apice sat late et paullo oblique truncata est. Pars tarsalis prioribus duabus partibus conjunctis paullo brevior est, parte patellari duplo latior, circa duplo et dimidio longior quam latior, anguste fusiformi-elliptica fere,

lateribus leviter rotundatis, paene parallelis, apice obtuso. Bulbus humilis, subter, ut videtur, laevis. *Pedes* longi et graciles, aculei eorum sat crebri et graciles; tibiae 3.ii paris aculeum singulum subter habent, patellae saltem posteriores 1 postice; in femoribus 5-7 aculeos video (7 in femoribus 4.i paris). *Abdomen* triplo longius quam latius, anguste cylindrato-ovatum.

Color. — *Cephalothorax* et *mandibulae* luteo-testacea sunt, *maxillae* et *labium* testacea, *palpi* flavo-testacei clava nigricanti; *sternum* et *pedes* quoque flavo-testacei. *Abdomen* cum *mamillis* cinereo-testaceum: venter postice prope mamillas lineas duas breves nigricantes, anteriora versus divaricantes ostendit.

Lg. corp. paene 5; lg. cephaloth. parum plus 2, lat. ej. 1 $^1/_4$, lat. clyp. circa $^3/_4$; lg. abd. 3, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I 7 $^1/_2$, II 7, III 5 $^3/_4$, IV 8; pat. + tib. IV 2 $^1/_2$, metat. + tars. IV 3 millim.

Mas singulus adultus, qui nescio an pellem nuper exuisset, in montibus Carin Chebà inventus est.

** 55. **C. pupula**, n., *cephalothorace cum partibus oris fusco-testaceo, sulco centrali nigro; palpis (bulbo genitali maris inflato rubro excepto) et pedibus testaceis, abdomine cinerascenti; oculis mediis anticis reliquis oculis, praesertim lateralibus anticis, non parum minoribus, oculis anticis cum lateralibus posticis seriem rectam modo apicibus paullo sursum curvatam formantibus, his sex oculis spatiis fere aequalibus separatis; tibiis* 3.ii *paris subter* 1 *vel* 1. 1. *aculeis et utrinque* 1 *aculeo armatis; vulva ex lineolis duabus longitudinalibus parallelis crassis nigricantibus formata.* — ♂ ♀ ad. *Long.* 4-4 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* patellam + tibiam 4.i paris longitudine aequat, circa $^1/_3$ longior quam latior, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine parum superante; antice utrinque levissime sinuatus est, fronte leviter rotundata, sulco centrali brevissimo, trochanteris latitudinem longitudine modo aequante. *Oculi* medii antici reliquis oculis minores sunt; laterales antici posticis oculis, qui fere eadem magnitudine videntur, non parum majores et mediis anticis plus dimidio majores. Oculorum series postica

desuper visa levissime procurva est, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata, series antica a fronte visa recta: cum oculis lateralibus posticis oculi antici seriem singulam rectam, modo apicibus paullo sursum curvatam formant. Area oculorum mediorum plus duplo latior est postice quam antice, et non parum longior quam latior antice. Oculi antici spatiis aequalibus, oculi medii dimidiam diametrum aequantibus separati sunt; spatium inter oculos binos laterales in mare (vix in femina) paullo minus est quam spatia quibus oculi antici inter se distant. Spatium inter medios posticos eorum diametro saltem triplo majus est: a lateralibus posticis spatiis saltem duplo minoribus, oculi lateralis diametro vix dimidio majoribus, sunt sejuncti. Medii antici a mediis posticis spatiis distant, quae oculi medii antici diametro paene duplo sunt majores.

Mandibulae deorsum directae, parum plus duplo longiores quam latiores, femoribus anticis non parum crassiores, in dorso ad longitudinem sat fortiter convexae, in latere exteriore quoque primum, a basi paene ad $^3/_4$ longitudinis, eodem modo convexae sive rotundatae, hoc latere dein recto; laeves sunt, sat dense pilosae. *Palpi* sat breves, graciles, clava tamen femora antica latitudine fere aequante. Pars patellaris paullo longior est quam latior; pars tibialis ejus longitudine, sed paullo angustior, anguste ovata fere: latus exterius partis tibialis prope apicem in procursum parvum porrectum brevem (non longiorem quam latiorem), apice late truncatum et fuscum est productus. Pars tarsalis anguste ovata est, plus duplo longior quam latior, prioribus duabus partibus circa duplo latior et eas conjunctas longitudine fere aequans; bulbus parte tarsali non parum latior est, fere ovatus vel formam vesicae inflatae et subter deplanatae, laevissimae, praebens: ipso apice antico in dentem vel duos dentes parvos exeunte. *Pedes* graciles, ita: IV, II, I, III longitudine se excipientes. Femora 1. 1. 3. aculeos superius habent, patellae saltem posticae 1 aculeum postice; tibiae anteriores 2. 2. et metatarsi anteriores 2. aculeos subter ostendunt. Tibiae 3.^{ii} paris subter 1 (vel, ut in altero pede vidi, 1. 1.) et in utroque latere 1 aculeum habent; tibiae 4.^{i} paris 1. 1. utrinque.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus vel pallidior, sulco centrali nigro, pube tenui cinerascenti vestitus; partes oris colore cephalothoracis sunt. *Palpi* et *pedes* ut *sternum* testacei vel flavo-testacei sunt, bulbus genitalis tamen *ruber*. *Abdomen* obscurius vel clarius cinereum, pallide cinerascenti-pubescens; anterius in dorso puncta 4 nigricantia rectangulum oblongum fere designantia ostendit, et praeterea in medio antice vestigia lineae vel fasciae pallidae postice abbreviatae et acuminatae. *Mamillae* cinerascentes vel sub-testaceae.

♂. — Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. clyp. circa 1; lg. abd. paullo plus 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 5, II 5 $^1/_2$, III 4 $^1/_2$, IV 6 $^3/_4$; pat. + tib. IV 2 $^1/_4$, metat. + tars. IV 2 $^3/_4$ millim.

Femina ad formam, palporum excepta, cum mare convenit; oculi et armatura pedum fere ut illo sunt: cephalothorax modo paullo minus angustatus est antice et pedes breviores, ut fere semper in hoc genere. *Vulva* ex duabus lineolis longitudinalibus parallelis latis nigricantibus, duplo longioribus quam latioribus et spatio eorum latitudine paullo minore separatis, paullo ante plicaturam genitalem sitis constat. *Color* ut in mare.

Mares duos adultos et feminam adultam (cum alia minuta quae nondum matura videtur) ad Bhamò invenit Fea.

Gen. **Eutittha**, Thor., 1877.

56. **E. melanostoma**, Thor., Descr. Catal., *cet.*, p. 44 (1895). Femina adulta parva, modo 5 $^1/_2$ millim. longa, hujus speciei ad Palon inventa est.

** 57. **E. rupicola**, n., *cephalothorace et pedibus in fundo fusco-testaceis, partibus oris fusco-nigris, abdomine cinerascenti; oculis binis lateralibus spatio disjunctis quod dimidiam eorum diametrum fere aequat, oculis mediis, praesertim anticis, longius a lateralibus ejusdem seriei quam inter se remotis; pedibus* 1.^{i} *paris cephalothorace fere* 4.*plo longioribus, tibiis* 1.^{i} *paris* 1. 2. 1. *vel* 1. 2. 2. *aculeis subter armatis, tibiis* 3.^{ii} *paris utrinque* 1 *aculeo; mamillarum*

superiorum art. 2.° art. 1.° non parum breviore, apicem versus sensim paullo angustato; vulva ex area sat magna rotundata elevata nigra constante, quae posterius in foveam transversam profundam excavata est, margine postico hujus foveae in medio in tuberculum forte nitidum elevato. — ♀ ad. *Long. circa* 10 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria plane est, sulco centrali distincto carens; aeque longus est ac tibia cum patella 4.ⁱ paris, saltem $^1/_3$ longior quam latior, clypeo $^2/_3$ partis thoracicae latitudine aequante. *Oculi* antici, praesertim medii, posticis oculis paullo majores videntur. Area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice et paene aeque longa ac lata. Oculi medii postici spatio diametro sua duplo majore separati sunt, a lateralibus posticis etiam paullo longius remoti. Medii antici, spatio diametrum suam saltem aequante sejuncti, a lateralibus anticis saltem dimidio longius quam inter se remoti sunt. Spatium inter oculos binos laterales, qui tuberculo communi sat forti impositi sunt, dimidiam diametrum posterioris eorum aequat. Medii antici a mediis posticis spatiis distant, quae oculi diametro paullo majora sunt.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis circa dimidio latiores, in dorso paene rectae. *Pedes* mediocres, 1.ⁱ paris cephalothorace fere 4.plo longiores. Femora 1 aculeum utrinque versus apicem habuisse videntur: in altero femore 1.ⁱ paris tamen 1. 1. aculeos antice versus apicem video. In pedibus 1.ⁱ paris tibiae subter 1. 2. 1. vel 1. 2. 2. aculeos subter habent, tibiae 2.ⁱ paris modo 1 versus medium subter (?); metatarsi anteriores subter 2. 1. aculeos ostendunt. Tibiae 3.ⁱⁱ paris 1 aculeum in utroque latere, tibiae 4.ⁱ paris modo 1 versus apicem postice habuisse visi sunt. Metatarsi posteriores aculeos 2. 2. subter et 1. 1. utrinque, praeter apicales, ostendunt. *Vulva* ex area duriuscula sat magna rotundata convexa nigra constat, quae posterius in foveam magnam transversam profundam paene totam ejus latitudinem occupantem excavata est; in medio marginis postici haec fovea tuberculum sat magnam rotundatum nitidum ostendit.

Mamillarum superiorum art. 1.^{s} cylindratus est, duplo longior quam latior, art. 2.^{s} eo circa duplo angustior et circa dimidio brevior, a basi ad apicem sub-obtusum sensim paullo angustatus, paene triplo longior quam latior basi.

Lg. corp. 10; lg. cephaloth. 4, lat. ej. paene 3, lat. clyp. 2; lg. abd. 6, lat. ej. 3 $^1/_2$ millim. Ped. I 15 $^1/_2$, II 12 $^1/_2$, III 9, IV 13 $^1/_4$; part. + tib. IV 4, metat. + tars. IV 4 $^1/_2$ millim.

Femina ad Yadò in montibus Carin Asciuii Chebà capta, quam singulam vidi, detrita et valde mutilata quidem est, sed forma vulvae adeo insignis, ut ab *E. melanostomata* (specie priore), cui praesertim affinis videtur, et a reliquis mihi cognitis *Eutitthis* sine negotio distingui possit.

Fam. AGALENIDAE.

Gen. **Agalena**, Walck., 1805.

** 58. **A. limbata**, n., *dense cinerascenti-pubescens et pilosa, cephalothorace in fundo nigro-fusco, fasciis tribus longitudinalibus sat latis, media sub-testacea, marginalibus duabus luteis, ornato; pedibus fusco-testaceis, nigro-annulatis; abdomine superius sub-cinereo vel -fusco, in dorso fasciis duabus longitudinalibus sat latis sub-incurvis nigris notato, quae saltem posterius in series duas macularum divulsae sunt, maculis utriusque seriei lineolis nonnullis* (5-7) *sat tenuibus rectis pallidis, oblique foras et retro ductis separatis, spatio inter has fascias sat lato sub-ferrugineo; vulva ex fovea magna rotunda profunda nigra constante, quae margine in lateribus alto et ibi utrinque, posterius, dilatato cincta est; bulbo genitali parte quadam longa testacea praedito, quae subter, posterius, spinam porrectam emittit, antice* (*apice*) *in dentem porrectum exiens.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 14, ♀ 14-20 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma est in gen. *Agalena* solita, utrinque anterius fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica longa, lateribus primum rectis et parallelis, dein lateribus rotundatis paullo latior, fronte ita in medio leviter sed utrinque fortiter rotundata. Series *oculorum* a fronte visae fortissime deorsum curvatae sunt; desuper visa series postica fortissime est procurva,

series antica paene recta. Oculi medii antici cum lateralibus posticis seriem a fronte visam paene rectam formant. Oculi medii antici reliquis oculis majores sunt, mediis posticis paene duplo majores. Area oculorum mediorum non parum longior quam latior est sed parum latior postice quam antice. Oculi medii antici spatio dimidiam eorum diametrum aequante separati sunt, et paene aeque longe a lateralibus anticis remoti. Medii postici spatio diametro sua plus dimidio, paene duplo majore sejuncti sunt, a lateralibus posticis spatiis hac diametro plus duplo majoribus separati. Spatium inter oculos binos laterales $^1/_4$ diametri anterioris (majoris) eorum vix superat; medii antici a mediis posticis spatiis magnis, diametro oculi medii antici evidenter majoribus, remoti. Medii antici a margine clypei spatio longitudinem areae oculorum mediorum saltem aequante distant.

Mandibulae basi ad longitudinem convexae sunt, dein paene rectae, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, sat dense pilosae. *Maxillae* sub-ovatae, in labium parum inclinatae; *labium* parum longius quam latius, apice rotundato-truncatum, dimidiam maxillam longitudine paullo superans. *Pedes* sat fortes, longitudine mediocri, dense pubescentes et pilosi et aculeis crebris armati. *Abdomen* ovatum. *Vulva* ex fovea magna profunda rotunda nigra constat, quae in fundo septum longitudinale satis angustum ostendit et margine elevato, antice et in medio postice humili, in lateribus alto cincta est, hoc margine posterius utrinque ita incrassato-dilatato, ut vulva postice late truncata, utrinque posterius dilatata, et in foveam maximam rotundatam excavata dici possit. *Mamillarum* superiorum art. 2.^{s} art. 1.º duplo longior et paene duplo angustior est, apicem sub-obtusum versus sensim paullo angustatus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus est, fascia media longitudinali sat lata fusco- vel cinereo-testacea fasciisque duabus marginalibus laete luteis, iis quoque sat latis, ornatus, pube cinerascenti sat densa et crassa vestitus. *Sternum* fusco-testaceum, fuscum vel piceum. *Mandibulae* nigrae; *maxillae* et *labium* fusca vel picea, basi nigra. *Palpi* luteo-fusci, apice infuscati. *Pedes* fusco-testacei vel testaceo-ferruginei, nigro-annulati, ut palpi dense

cinereo-pubescentes et nigro-pilosi: femora apice minus late nigra sunt et versus basin annulo latiore nigro praedita (interdum ad maximam partem nigra), patellae apice plus minus distincte nigrae, tibiae apice et versus basin quoque nigrae. *Abdomen* superius cinerascens, cinereo-fuscum vel fuligineum est, pube densa cinerea vestitum: dorsum ejus secundum medium in fundo fascias duas latas inaequales nigras ostendit, quae prope basin dorsi initium capientes (et non usque ad anum pertinentes) basi paullo divaricant, dein sensim inter se paullo appropinquant et in maculas paucas inaequales divulsae sunt, his maculis utriusque fasciae serie lineolarum angustarum rectarum, oblique foras et retro directarum inter se separatis. Spatium sat latum inter fascias duas nigras dorsi plerumque sub-ferrugineum est. In utroque latere, ad basin, abdomen interdum maculam magnam sub-testaceam ostendit; venter, qui reliquo abdomine paullo clarius est, utrinque, secundum latera, fasciam angustam minus aequalem etiam pallidiorem, utrinque inaequaliter fusco-limbatam ostendit.

Mas ad formam et colorem cum femina convenit, parum nisi oculis magis confertis, pedibus longioribus et structura palporum ab ea differens. *Palpi* sat breves, clava femoribus anticis fere duplo latiore. Pars patellaris non longior est quam latior apice, ubi latus ejus exterius in dentem fortissimum et latissimum, subtriangulum, foras et paullo deorsum directum, nigrum dilatatum est. Pars tibialis parte patellari non parum brevior et paullo latior: in latere exteriore, inferius, dilatationem oblongam humilem nigricantem format, cujus apex anticus crassus anteriora versus et deorsum productus est et in apice fortiter et late rotundato dente parvo auctus. Pars tarsalis, breviter et oblique piriformis fere, in apicem sat longum exit: in latere exteriore paene recta est, in latere interiore ante apicem illum fortiter rotundata, basi truncata et sub-emarginata, partibus prioribus saltem duplo et dimidio latior, reliquo palpo non multo brevior. Bulbus humilis, complicatus: a latere exteriore visus partem longam testaceam ostendit, quae, subter, posterius, spinam porrectam format, ante eam vero (apice) dentem porrectum.

♀. — Lg. corp. 17; lg. cephaloth. $7\,^2/_8$, lat. ej. $5\,^3/_4$, lat.

clyp. 3 $^1/_2$; lg. abd. 10 $^1/_4$, lat. ej. 6 $^1/_2$ millim. Ped. I 22, II 21, III 19 $^1/_2$, IV 24 $^1/_2$; pat. + tib. IV 8, metat. + tars. IV 9 millim.

♂. — Lg. corp. 14; lg. cephaloth. 7 $^1/_2$; lat. ej. 5 $^2/_3$, lat. clyp. 3; lg. abd. 8, lat. ej. 4 millim. Ped. I 29, II 26 $^1/_2$, III 24, IV 31; pat. + tib. IV 9, metat. + tars. IV 12 $^3/_4$ millim.

Exempla pauca adulta, inter ea marem singulum, in montibus Carin Chebà sive Bia-pò collegit Fea, feminamque singulam ad Bhamò; feminas pullas ad Yadò invenit quoque.

Gen. **Tegenaria**, Latr., 1804.

59. **T. Chebana, n., *cephalothoracis parte cephalica obscure fusca, secundum medium clariore, parte thoracica sub-lutea, radiis quattuor anguste triangularibus fuscis in utroque latere notata, limbo laterali sat lato sub-luteo cincta; pedibus fusco-testaceis, nigro-annulatis; abdomine superius nigricanti, maculis inaequalibus sordide testaceis dense variato, ventre sordide testaceo, maculis nigricantibus sparso; vulva ex sulco brevi transverso in apicibus lineola minuta nigra notato constante; art. 2.° mamillarum superiorum art. 1.^{m} longitudine paullo superante.* — ♀ ad. *Long. circa* 10 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* longus, anterius utrinque fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica longa, alta et convexa, anteriora versus lateribus leviter rotundatis primum paullo dilatata, fronte in medio paene truncata, angulis fortiter rotundatis; pars thoracica postice truncata et, in medio, emarginata est. *Oculi* sat magni dicendi; medii antici reliquis paullo minores sunt, laterales antici reliquis paullo majores. Series oculorum antica a fronte visa paene recta est, parum deorsum curvata, series postica desuper visa paullulo recurva, a fronte visa modice deorsum curvata. Area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice et aeque longa ac lata postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum non superare videtur; a lateralibus anticis spatiis parum minoribus sejuncti sunt hi oculi. Medii postici spatio eorum diametro vix dimidio majore separati sunt, a lateralibus posticis spatiis hac diametro plus dimidio majoribus remoti. Oculi bini laterales spatio sunt sejuncti quod dimidiam

eorum diametrum vix aequat et circa duplo minus est quam spatia quibus medii antici a mediis posticis sunt separati; quae spatia oculi medii postici diametro paullo majora sunt. Clypei altitudo diametrum oculi lateralis antici saltem aequat. Apex posticus *sterni* triangulus paullo inter coxas 4.[i] paris (quae spatio dimidiam earum latitudine non aequante separatae sunt) pertinet.

Mandibulae directae, paene cylindratae, vix duplo et dimidio longiores quam latiores, femora antica latitudine saltem aequantes, dorso basi modice convexo, praeterea recto, latere exteriore, excepto basi, ad longitudinem leviter convexo; sulcus unguicularis intus dentibus antice 3, postice 2 est armatus. Unguis brevis. *Palporum* pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis ea paullo longior, a basi ad apicem sensim paullo incrassata, duplo longior quam latior basi. *Pedes* mediocres, 1.[i] paris 4.[i] paris pedibus parum breviores; metatarsus 4.[i] paris non parum brevior est quam tibia cum patella hujus paris. Unguiculi tarsorum superiores dentibus longis creberrimis et densissimis saltem 20 pectinati sunt, unguiculus inferior 4 dentibus pectinatus (ita saltem in pedibus 1.[i] paris). *Abdomen* ovato-ellipticum. *Vulva* ex sulco (fissura ?) transverso brevi pallido apud plicaturam genitalem constat, qui diametro coxae 4.[i] paris saltem dimidio brevior est, et in utroque apice, antice, lineola omnium brevissima nigra anteriora versus directa notatus: ante has lineolas maculas duas parvas nigras video, cum iis fere quadratum designantes. *Mamillarum* superiorum art. 1.[s] paene duplo longior est quam latior, art. 2.[s] eo paullo longior et etiam basi eo non parum angustior, a basi ad apicem sub-acuminatum sensim angustatus; mamillae inferiores vix dimidio longiores quam latiores, art. 2.[o] brevissimo obtuso.

Color. — *Cephalothorax* pilis nigris sparsus est; pars cephalica in fundo obscure fusca, secundum medium praesertim postice paullo clarior; pars thoracica sub-lutea, limbo lato luteo in lateribus et postice cincta, et striis 4 radiantibus anguste triangulis vel cuneiformibus (apicibus intus directis) in utroque latere notato; sulcus centralis niger. *Sternum* pallide fuscum, versus margines laterales, praesertim anterius, obscurius, pilis nigris sparsum.

Palpi fusco-testacei, apicem nigrum versus infuscati. *Pedes* fusco-testacei vel testaceo-fusci, nigro-annulati, metatarsis tarsisque anterioribus magis fuscis: femora annulum paene apicalem aliumque medium nigros habent, ipsa basi quoque nigra; patellae in lateribus plus minus nigricantes sunt; tibiae annulos binos, subbasalem et sub-apicalem plus minus abruptos, ostendunt; metatarsi basi plus minus evidenter infuscati sunt. Ut palpi, pedes nigro-pilosi et -aculeati sunt, et paullo pallido-pubescentes et -pilosi quoque. *Abdomen*, pilis brevibus sub-testaceis minus dense vestitum, supra et in lateribus nigricans est, maculis striisque valde inaequalibus sordide testaceis dense variatum: antice dorsum ejus maculam longam ejusmodi ostendit, et utrinque apud eam maculas minores saltem duas, dein vero, secundum medium dorsi, seriem macularum 4-5 fere ∧-formium (apicibus posticis dilatatis), quarum prima vel primae apice antico abruptae sunt: quae maculae cum aliis striis et maculis iis quoque valde inaequalibus conjunctae sunt. Dorsum et latera praeterea maculis minoribus sunt conspersa; venter sordide testaceus, maculis minoribus nigricantibus minus dense sparsus. *Mamillae* inferiores sub-fuscae sunt; art. 1.s superiorum in medio supra late infuscatus videtur, art. 2.s pallidior, sub-cinerascens est.

Lg. corp. 10; lg. cephaloth. paene 4 $^1/_2$, lat. ej. paene 3, lat. clyp. 2; lg. abd. 5 $^1/_3$, lat. ej. paene 3 $^1/_4$ millim. Ped. I 11 $^1/_2$, II paene 10, III paene 9, IV paene 12; pat. + tib. IV et metat. + tars. IV paene 4 $^1/_2$ millim.

Exemplum femineum, quod singulum vidi, in montibus Carin Chebà inventum est.

Fam. HERSILIIDAE.

Gen. **Hersilia** (Sav.), 1825-27.

60. **H. Savignyi**, Luc., Observ. sur les Aran. du genre Hersilia, *cet.*, *in* Mag. de Zool., 6.e année, Classe VIII, p. 10, Pl. XIII, fig. 1 (1836); Thor., Primo Saggio, *cet.*, loc. cit., p. 80 (1887) et id., Descr. Catal., *cet.*, p. 56 (1895) *(ubi cet. syn. videantur).*

Femina adulta et mas junior, ex Malewoon (Tenasserim).

Fam. DICTYNIDAE.

Gen. **Titanoeca**, Thor., 1870.

61. **T. Birmanica**, Thor., Descr. Catal., p. 62 (1895).

Mas et femina ex Rangoon, femina ex Bhamò. — Numerus aculeorum tibiarum et metatarsorum anteriorum in hac specie paullo variare videtur: in mare tibiae 1.ⁱ paris praeter aculeos circa 5 subter, 1. 1. aculeos in lateribus habere possunt. Latus interius partis palporum tibialis in mare versus apicem in laminam basi intus directam, dein anteriora versus curvatam est dilatatum, quae apice in filos quattuor obtusos (quasi digitos) paene aeque longos et paullo divaricantes fissa est. — Saltem in feminis nunc a me visis vulva, ut in exemplo typico, callo forti incurvo utrinque limitata, posterius elevationes duas oblongas sulco longitudinali separatos formare potius quam « in foveas duas rotundatas septo angusto separatas divisa » videtur. (Modo altera feminarum ad Rangoon inventarum, quarum loc. cit. memini, adulta est).

Fam. PSECHRIDAE.

Gen. **Psechrus**, Thor., 1878.

** 62. **Ps. Ghecuanus**, n., *cephalothorace nigricanti, fasciis duabus marginalibus sat latis sub-testaceis aliaque media ea quoque pallida et in parte cephalica dilatata notato, clypeo sub-luteo (macula magna media nivea carente); serie oculorum antica paene recta; pedibus sub-testaceis, dense nigro-annulatis, 1.ⁱ paris pedibus cephalothorace circa 5.plo longioribus; abdomine angustius ovato, in fundo superius sordide nigricanti-luteo et in dorso antice fascia longitudinali postice abbreviata et angustato-acuminata testacea notato, ventre fascia media longitudinali alba utrinque nigro-limbata ornato.* — ♀ ad. (?). *Long. circa* 20 *millim.*

Femina. — Ad formam haec species paene omnibus numeris cum *Ps. argentato* (Dol.) et cum descriptione ejus a nobis data [1]

[1] Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 171.

convenit, vix nisi his paucis rebus ab eo differens: *cephalothorax* paullo longior est, cum pedibus comparatus, et saltem aeque longus ac tibia cum patella 3.ii paris. A fronte visa series *oculorum* antica parum deorsum curvata, paene recta, est: linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos prope marginem superiorem secat. Oculi laterales antici mediis anticis fere dimidio majores sunt, et spatio eorum diametro non parum minore inter se remoti. *Mandibulae* saltem duplo et dimidio longiores sunt quam latiores. Unguiculus *palporum*, sat gracilis et modo leviter curvatus, dentibus circa 10 est pectinatus. *Pedes* breviores: pedes 1.i paris cephalothorace modo 5.plo longiores sunt. Tarsi recti, nec curvati neque apice incrassati. Unguiculi tarsorum superiores 10-11 dentibus sunt praediti; unguis inferior, ut in *Ps. argentato*, dente singulo. *Abdomen* angustius ovatum, modo circa duplo longius quam latius. *Vulva* ex maculis (foveolis?) duabus minutis fuscis, sat longe inter se remotis, paullo ante plicaturam genitalem sitis constat, quae ut lineolae duae brevissimae parallelae fuscae ad hanc plicaturam productae sunt.

Color vero non parum a colore *Ps. argentati* differt. *Cephalothorax* nigricans est, fascia media longitudinali lata et inaequali sub-testacea, in parte cephalica dilatata, notatus, et fasciis duabus marginalibus magis luteis, iis quoque sat latis, cinctus: sordide testaceus vel sub-luteus dici quoque potest, fasciis duabus longitudinalibus valde inaequalibus, nigricantibus, in parte cephalica angustioribus quam in parte thoracica, praeditus; clypeus luteus pube tenui cinereo-albicanti minus dense est vestitus, macula illa magna nivea, qua in *Ps. argentato* notatus est, carens. Pube cinerascenti vestitus et saltem antice, pone oculos, pilis nonnullis fortibus nigris sparsus est cephalothorax. *Sternum* nigrum, pilis nigris conspersum et limbo sat lato luteo dense albicanti-piloso in lateribus cinctum. *Mandibulae* nigro-piceae, pilis longis pallidis dense conspersae; *maxillae* et *labium* nigra. *Palpi* sub-testacei, parum evidenter nigro-annulati, apice partis tarsalis nigricanti. *Pedes* sub-testacei, dense nigro-annulati, annulis plus minus in maculas abruptis: femora 4 annulos habent, patellae apice plus minus infuscatae sunt; tibiae 4 annulos ostendunt, quorum apicalis re-

liquis latior est. Sat dense nigro-pilosi et -aculeati sunt pedes et plus minus albicanti-pubescentes, pube tamen *non* maculas albissimas, quibus femora, cet., subter in *Ps. argentato* conspersa sunt, formante. *Abdomen* in fundo superius sordide nigricanti-luteum est, et pube cinerascenti (postice sub-ferruginea ?) vestitum fuisse videtur; fasciam mediam longitudinalem a basi usque pone medium dorsi pertinentem, posteriora versus angustatam et acuminatam supra ostendit. Venter obscurior, sub-olivaceo-fuscus est, secundum totam longitudinem fascia angusta alba, utrinque nigrolimbata ornatus, et saltem utrinque apud eam pube ferrugineorubra vestitum. In utroque latere, inferius, vestigia lineae longitudinalis undulatae albicantis remanent. *Mamillae* sub-ferrugineae.

Lg. corp. 20; lg. cephaloth. 7 $^3/_4$, lat. ej. paene 5 $^1/_2$, lat. clyp. 2 $^1/_4$; lg. abd. 12, lat. ej. 7 $^1/_4$ millim. Ped. I 40, II paullo plus 35, III 25 $^1/_2$, IV 36; pat. + tib. I 14 $^1/_2$ (tibia 12), pat. + tib. IV 11 $^1/_2$, metat. + tars. I 15 $^1/_2$ (metat. 10 $^1/_2$), metat. + tars. IV 14 millim.

Feminam singulam, quae adulta videtur, aliamque minorem, cujus abdomen corrugatum et decolor est, in montibus Carin Ghecù invenit Fea.

A *Ps. Singoriensi* Thor. (¹) qui is quoque pedes dense nigro-annulatos habet, statura multo majore et pedibus multo brevioribus, pedibus 1.ⁱ paris cephalothorace modo 5.plo, non 10.plo, longioribus, praesertim facile internosci potest *Ps. Ghecuanus*.

Gen. **Fecenia**, Sim., 1887.

63. **F. cylindrata**, Thor., Descr. Catal., p. 64.

Magnam vim exemplorum ad Palon, aliaque ad Bhamò collegit Fea; paene omnes aut juniores utriusque sexus aut feminae adultae sunt. De hac specie annotavit Cel. Fea: « Vive in cespugli e, se ben rammento, se ne sta appiattata entro foglie accartocciate che tapezza internamente della sua ragnatela ». Conf.

(¹) Decas Aran. in ins. Singapore..... invent., *in* Bull. della Soc. Entom. Italiana Anno XXVI (1894), p. (1).

in Thor., loc. cit., p. 66, quae de moribus hujus araneae dixerunt Cel. Oates et Simon.

Ad magnitudinem valde variat *Fecenia cylindrata:* feminae 10-15 millim. longae sunt, mares paullo minores. Abdomen superius, ut cephalothorax, pube sericea densa cinerascenti, sub-testacea vel albicanti vestitum est, et in fundo plerumque sub-fuscum vel nigricans, fascia media longitudinali plus minus longa nigra antice notatum, quae apud basin dorsi fascia brevi testacea utrinque includitur; fasciae obliquae testaceae vel sub-luteae laterum plus minus sursum continuatae sunt, et pubescentia albicans interdum series duas macularum parvarum posterius in dorso format. *Vulva* ex fovea magna transversa profunda, duplo latiore quam longiore, postice paullo angustiore quam antice constat: utrinque haec fovea callo elevato definita est, antice area (quasi pariete) laevi et praerupte declivi pallidiore limitata, postice vero, inter callos illos laterales, lamina transversa tenui alta nigro-fusca, cujus margo liber truncatus et leviter procurvus est et quae utrinque in fundo vulvae anteriora versus continuatur.

Palpi *maris* mediocres sunt, clava femoribus anticis non parum latiore. Pars patellaris desuper visa cylindrata est et paullo longior quam latior; in apice lateris exterioris, infra, dentem parvum obtusissimum fuscum ostendit, et in medio subter, magis versus apicem, procursum magnum, basi crassissimum, sub-conicum et pallidum, dein magis cylindratum et ferrugineo-fuscum, apice obtusum, deorsum et anteriora versus directum leviterque curvatum. Pars tibialis aeque longa et lata est, parte patellari parum angustior: angulus apicalis lateris ejus exterioris-inferioris in procursum brevem subtriangulum obtusum productus est. Pars tarsalis angustius triangula fere, basi truncata, latere exteriore recto vel leviter concavato et latere interiore praesertim versus basin rotundato (praeterea paene recto) apicem sub-acuminatum versus sensim angustato; reliquo palpo circa duplo latior est, partibus patellari et tibiali conjunctis non parum longior, et saltem duplo longior quam latior. Bulbus valde complicatus: spinam longam fere in semicirculum secundum basin et latus bulbi interius curvatam ostendit, et ad latus exterius, postice,

bacillum longum fortem paene aequali latitudine, leviter deorsum curvatum, deorsum et anteriora versus directum, qui ferrugineus est, in apice cito angustato anguste niger, et subter versus medium dente minuto nigro instructus; ante hunc procursum lamellam longam tenuem et angustam albicantem video. *Pedes* 1.^{i} paris reliquis pedibus multo longiores sunt, praesertim in mare longissimi, cephalothorace circa 8.plo longiores et pedibus 3.^{ii} paris circa triplo et dimidio longiores; in femina cephalothorace modo circa 5.plo, et pedibus 3.^{ii} paris circa 2 $^{1}/_{3}$ longiores sunt.

Fam. DINOPIDAE.

Gen. **Dinopis**, Mac Leay, 1839.

*64. **D. Kollari**, Dol., *cephalothorace fusco, pube densa cinereo-fusca vestito et tribus fasciis longitudinalibus albicantibus ornato; duabus marginalibus in parte thoracica, tertiam per totam longitudinem cephalothoracis extensa et linea vel fascia angusta nigra geminata, antice sensim paullo dilatata et albissima, linea illa nigra ea quoque antice sensim paullo dilatata, et ibi lineola pallidiore geminata; pedibus fuscis; sterno et labio ad maximam partem fascia longitudinali lata alba occupatis; abdomine cylindrato et* 5-6*.plo longiore quam latiore.* — ♂ ad. *Long. circa* 17 *millim.*

Deinopis Kollari, Dol., Tweede Bijdr. t. de Kennis d. Arachn. v. d. Ind. Archip., *in* Verhand. d. Natuurkund. Vereen. in Nederlandsch Indië, V, p. 10, Tab. VIII, fig. 7 (1859).

Mas. — *Cephalothorax* paullo plus dimidio longior quam latior, humilis, paene planus, apud coxas 1.^{i} paris subito fortissime angustatus: pars cephalica parva et parte thoracica circa triplo angustior est, multo latior quam longior, antice paene truncata, tuberculo sub-conico porrecto in margine antico supra utrumque oculum medium posticum praedito, fronte supra inter haec tubercula transversim concavata; margines frontis superior et exteriores, circum oculos medios anticos, *non* evidenter serrati sunt. Pars thoracica posteriora versus lateribus leviter rotundatis sensim angustata est, duplo latior antice quam postice. *Oculi* ad

magnitudinem (et fere ad dispositionem) ut in plerisque hujus generis formis sunt; oculi quattuor laterales aream maximam multo latiorem antice quam postice et latiorem antice quam longiorem occupant; oculi postici aream non parum latiorem postice quam antice et fere aeque longam ac latam postice occupant. Oculi medii postici omnium maximi spatio $^1/_3$ eorum diametrum vix aequante separati sunt; oculi antici seriem valde longam paullo deorsum curvatam formant. Intervallum inter medios anticos, tuberculo communi impositos et reliquis oculis multo minores, spatio illo paullo minus est et diametro oculi medii antici non parum majus: a lateralibus anticis, qui apici procursus crassi paene cylindrati paullo longioris quam latioris et foras paulloque deorsum et anteriora versus directi impositi sunt, spatiis plus triplo majoribus, quam quo inter se distant, sunt remoti. *Sternum, maxillae* et *labium* ut in reliquis formis hujus generis sunt (¹).

Mandibulae parallelae, plus duplo longiores quam latiores, femoribus anticis non parum angustiores. *Palpi* longi et gracillimi, clava sub-globosa tamen femur anticum crassitie saltem aequante. Pars femoralis reliquum palpum longitudine circiter aequat; pars patellaris brevis duplo longior est quam latior, pars tibialis longa et sub-clavata parte femorali duplo brevior est; bulbus niger subter spinam longam gracilem circum stilum deorsum directum et apice subito intus curvatum in gyros duos circulatos aequales et densos, alteram sub altera, convolutam ostendit. *Pedes* longissimi et gracillimi, patellis brevibus; pedes 1.ⁱ paris pedibus posterioribus paene duplo longiores sunt, pedes 4.ⁱ paris pedibus 3.ⁱⁱ paris parum longiores. *Abdomen* cylindratum in nostro exemplo sub-corrugato 6.plo longius quam latius est.

Color. — De pictura *cephalothoracis*, cujus fasciae, in fundo pallidae, pube densa albicanti vel alba vestitae sunt, vid. diagnosin. *Sternum* nigrum et pube fusca in lateribus vestitum, fascia media longa et lata posteriora versus sensim angustata et acuminata pallida, pube densa alba tecta, ornatum est, quae anteriora versus continuata labium paene totum occupat quoque.

(¹) Conf. SIMON, H. N. d. Araignées, 2.ᵉ Éd., 1, p. 203 et sequ.

Mandibulae et *maxillae* sub-testaceae. *Palpi* fusci, parte femorali testacea, bulbo nigro. *Pedes* fusci squamulis minutis appressis et pube pallidis vestiti fuisse videntur et saltem versus apicem (e. gr. in metatarsis) pilis brevioribus cinerascentibus sat densis praediti, aculeisque nonnullis brevibus sparsi. *Abdominis* color in nostro exemplo deperditus est: supra saltem secundum medium nigricans fuisse videtur, pube tenui albicanti tectum, et in lateribus lineis longitudinalibus tenuissimis sub-undulatis (?), alternantibus fuscis et pallidis, striatum; ventre ante rimam genitalem purius nigro.

Lg. corp. 17; lg. cephaloth. 5 $^1/_2$, lat. ej. max. 3 $^1/_2$, lat. front. paullo plus 1 $^1/_2$; lg. abd. 11 $^1/_2$, lat. ej. 2 millim. Ped. I sine tarso 60 $^1/_2$ (fem. 20), II sine tarso 40 $^1/_2$ (fem. 17), III sine tarso 33 (fem. 13), IV sine tarso paene 33 $^1/_2$ (fem. 13 $^1/_2$); pat. + tib. IV 11 $^1/_2$, metat. IV 8 $^3/_4$ millim.

Marem singulum adultum, corrugatum et valde mutilatum (e. gr. tarsis omnibus carentem) ad Palòn inventum est. Verisimillimum mihi videtur, hanc araneam eandem ac *D. Kollari*, Dol., ex Amboina, esse.
